DE

LUCII AMPELII LIBRO MEMORIALI

QUAESTIONES

CRITICAE ET HISTORICAE.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

RITE ADIPISCENDOS

SCRIPSIT

EDUARDUS WOELFFLIN

BASILIENSIS,

REGII SEMINARII PHILOLOGICI NUPER SODALIS.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT ERN. AUG. HUTH.

MDCCCLIV.

De Lucii Ampelii libro memoriali quae adhuc disputata sunt a viris doctis, ea tantum inter se differunt, ut vix quid de eo iudicandum sit satis constet. Sunt enim qui *stili concinnitatem* efferant; alii, qui libellum parum caste pureque scriptum esse arbitrentur: invenies alios, qui *plurimarum rerum* quas aliunde non liceat petere *novitatem* laudent; rursus alii vix dignum habent, in quo illustrando vel emendando multum studii consumatur. Acrior deinde de aetate scriptoris disceptatio: partim quinto, alii quarto post Christum saeculo vixisse iudicabant, donec novissime V. D. Glaeserus extitit, qui tertio p. Chr. saeculo sub Macrino imperatore illum libellum scriptum esse coniiceret plurimisque sententiam suam probaret. (cf. Mus. Rhen. nov. vol. II. pg. 145. et Schneidewini philologum vol I. pg. 703.). Huc iam accedebat, quod editores multum de Salmasii et Iureti codice vel codicibus ambigerent, quamvis nemo praeter unum Salmasium librum manu scriptum versavisset.

Nec potuit sane aliter iudicari, antequam scriptoris verbis ad codicis fidem castigatis certius disputationis fun-

damentum iaceretur. Salmasius enim, qui principem Ampelii editionem curavit (Lugd. Bat. 1638 in 12° ad calcem Flori) codice usus lureti corruptissimo, ut ipse dicit *), multa ut aliquo certe fructu ac voluptate legi posset liber ille ex coniectura correxit codicisque discrepantiam mox cum commentario editurum professus est. Verum ille commentarius nunquam in lucem prodiit itaque factum est, ut quotquot nunc exstant Ampelii exemplaria omnia ex illa editione fluxerint: immo plerique editores alteram Salmasii editionem, quae typothetarum negligentia a priore multis in locis descivit, secuti sunt, cum priorem admodum raram sibi parare non possent.

Quae cum ita sese habeant, mihi quidem hand mirum, vix quenquam philologum a se impetrasse, ut in Ampelio illustrando aliquid operae collocaret; sed eadem ipsa est causa, cur mihi melioribus praesidiis instructo huius scripti veniam dari velim. Maxime vero ad hoc opusculum aggrediendum me movit, quod Vir Clariss. Car. Halmius litteris a me petiisset, ut librum memorialem opera mea emendatum ad calcem Flori, quem in bibliotheca Teubneriana editurus esset, subiungerem. Hac igitur provincia suscepta hoc mecum constitui, ut in praefatione editionis Teubnerianae nihil nisi codicis Monacensis editionumque discrepantiam indicarem paucisque adderem, ubi de emendandi ratione breviter moneri poterat, per hanc

*) „Exemplar porro, unde Ampelium descripsi, ab imperito librario vitiosissime scriptum fuisse iudicare hic debeo, ne, qui tam multas adhuc superesse in eo mendas animadvertit, nihil a nobis, quoad emendationem, praestitum esse arguere possit. Non pauciora in illo codice errata fuere, quam verba."

vero disserendi opportunitatem de criticis quaestionibus, ac de fontibus Ampelii exponerem. Contraxi tamen, cum dissertationem typographo traderem, quae de glossematis, de lacunis ceterisque scripturae vitiis in codice Salmasiano obviis conscripseram; auxi contra, quae de fontibus Ampelii exposueram utpote argumento graviora lectuque digniora.

QUAESTIONES CRITICAE.

CAP. I. DE SUBSIDIIS CRITICIS.

Praeter Iureti codicem quo Salmasius usus fuerat, de altero etiam codice fama percrebruit, Divionensi, ex bibliotheca S. Benigni, quem inspexerat olim P. Pithoeus testibus Savarone et Sirmondo ad Sidon. Apollin. Carm. IX. v. 301: cum vero Divionensem eundum habendum esse cum Iureti codice, qui et ipse Divione vixit multumque illius bibliothecae libris usus est, recte iam Salmasius in praefatione ad Ampelium suspicatus erat. Equidem nec illum librum, nec alium quendam codicem veterem indagare potui, licet Parisiis in tam vasta codicum copia diu seduloque quaesiverim catalogosque bibliothecae Divionensis, Bruxellensis, in quam plurimos Divionenses olim codices translatos fuisse constat *), aliarumque bibliothecarum diligenter perscrutatus sim: ab eo tamen labore irritus semper redii.

Sic una spes reliqua erat, ut apographon codicis Divionensis alicubi reperirem, in quam me Tzschukkii verba (vid. eius praef. ad Ampelium) induxerant: „Igitur a Iure-

*) Multos S. Benigni bibliothecae codices nunc in Montepessulana asservari peropportune me monuit V. Cl. Georg. Waitz; neque tamen in eius bibliothecae catalogo qui nuperrime editus est quidquam de Ampelio adnotatum reperi.

to codex Divionensis descriptus et in Salmasii manus transiisse videtur, etsi de eius descriptione nihil notatum inveni.“ Nec spes fefellit: Monachii enim in bibliotheca regia apographon illud exstat, (Cod. lat. 10383) quo Salmasius ad curandam editionem suam usus erat. Salmasii fuisse inscriptio „ex bibliotheca Salmasii“ prima manu scripta clare testatur; nec magis dubium illud alterum est, ex codice antiquiore id exemplar descriptum esse, cum in margine de codicis scriptura passim memoratum sit, ut cap. VI. ad verbum *meritiem* in margine adnotatum est prima manu: „Sic Mscr. pro meridiem: sic Itali otie pro hodie dicebant ut notat Isidorus.“ Et cap. 48 ad verba *quia hae per curias* adscriptum est prima manu: „mendosum prius frusti: ha in Ms.“

Iam ad fidem huius exemplaris recte aestimandam scire intererat, a quonam exaratum esset. Dixeris doctum sane librarium prodere notulas illas margini adscriptas, immo Salmasium ipsum, cum prima manu in principio libri scriptum sit „ex bibliotheca Salmasii.“ Haec per se quam maxime probabilia externo quodam argumento ita confirmantur, ut iam dubitationi nullus locus relictus sit. Scribit enim Salmasius in praefatione ad editionem principem *): „Subiit tandem commode Lucio Floro Lucium Ampelium posse adiungi, quem ante viginti annos et quod excurrit descripseram ex codice antiquissimo Iureti.“ Collatis denique epistolis nonnullis a Salmasio scriptis, quarum mihi usum concessit liberalissimus bibliothecae custos J. G. Krabinger, nova fides sententiae meae accessit.

Quae cum comperta sint, nemini iam dubium esse potest, quin codicis instar habendum sit illud apographon; mox ipse intellexi, quanta diligentia & fide scriptum sit. Intacta enim reliquerat Salmasius, quae primo statim obtu-

*) Impressa est ante mensem Iulium anni 1638, ut patet ex epistola Jac. Fr. Gronovii ad Georg. Richterum, data a. d. III. Kal. Iul. 1638, quae manu scripta in bibl. Basil. asservatur. *Roth.*

tu emendari poterant; fideliter reddidit apertissimos librarii errores; fideliter etiam et presse codicem secutus esse videtur in iis, quae ad orthographiam pertinent. Hunc librum, memorialem dico, ex quo descriptum habebat, per tot annorum intervalla iteratis curis pertractasse videtur pariter intentus, ut et locos corruptos coniectura sanaret ac difficiliores commentario illustraret, de quo testatur Clementius in vita Salmasii eius epistolis praefixa pg. 68. Ita factum est, ut in exercitationibus Plinianis anno 1629 editis non solum locos quosdam Ampelii citaret, verum etiam emendatam, ut ipsi videbatur, eorum lectionem exhiberet, sicuti pg. 53: Ob id factum Iunoni odio esse coepit, (scil. leo) *quae leonem* (in Mscr. erat *leonemque* quod et spreta coniectura sua in editionem principem recepit) caelesti dignitate est honorata. Amp. 2, 5. pg. 865 *Pelinnam* montem pro *Pelenaeo* (Amp. 2, 8) correxerat, in editione tamen ad codicis scripturam rediit. pg. 870 item *Rhoetaeon;* cautior in editione cum codice *Rhoete* (Amp. 8, 11). Cfr. etiam pg. 281 (= Amp. 2, 12) et pg. 287 (= Amp. 7, 2). Idem apographon ante annum 1618 scriptum postea anno 1638 emendatum typographo tradidit — in margine singulae editionis principis paginae creta notatae sunt — sed ita emendatum, ut etiam nunc prima manus a secunda facillime discerni queat: illam codicis Divionensis scripturam in editione mea littera C, hanc Salmasii emendationem cum editione principe ubique congruentem littera S significavi.

Paucissimi tantum restant loci, ubi editio princeps ab apographo correcto discrepat: neque tamen hoc mirum, cum Salmasium inter singulas plagulas impressas corrigendas perpauca etiam immutavisse admodum credibile sit. Agnoscitur quoque passim in libro Monacensi et atramenti et calami diversitate tertia manus, non ea Salmasii ipsius, ut Halmio videtur, sed alius cuiusdam viri docti; quas lectiones et raras et nullius fere pretii silentio praeterire tutissimum habui: id certissime, ante editionem principem

impressam ea scripta fuisse inde constat, quod ex parte saltem in Salmasii editionem transierunt *).

Mihi igitur redeundum erat ad codicis Divionensis lectiones et recognoscenda Salmasii opera: in qua si multa improbanda erant, Salmasium tenendum est Ampelii librum memorialem levi tantum cura dignatum rogatu bibliopolae tanquam appendicem Floro subiunxisse. Ut vero mihi Salmasii opera recognoscenda fuit, sic meam rursus recognovit Car. Halmius, qui non solum de singulis locis corruptis quae ipse sentiret mecum liberalissime per litteras communicavit, sed etiam codicem Monacensem iterum diligentissime excussit, et ubi me lapsum esse deprehenderet praefationi criticae manum emendatricem admovit. Uter vero labor maior fuerit, vix diceres. Nam in codice Mon. multa negligenter exarata litteris minus compositis et claris, alia correctoris manu paene deleta, alia oblitterata erant. Qua in re profliganda Halmii diligentia eo proces-

*) Lectori gratum fecisse mihi videbar Halmii iudicium sequendo: nunc iam locos enumerem qui huc faciunt. cap. 15, 2 C habet: Ericlonius rex qui mysteria Eleusinae (ut Salamina, ae 6, 14) constituit *celeu hospite* (supra scr. tert. manu *coleudaospicae* sive ut Halmius legi iubet *colendas spicas*) *cum olco* sacerdote, unde emendandum putavi *Celeo ospice*, *Eumolpo* sacerdote: sic *ospicari* pro *auspicari* Quadrig. ap. Diomed. I. p. 378 P. — c. 20, 5 Trecenti sub Calpurnio Hamma *contra Poenos* (s. scr. *contriduno*) unde restituendum duxeram sub Calp. Hamma *tribuno contra Poenos* coll. Liv. per. 17 et Catone maiore ap. Gell. 3, 7, nisi potius Salm. ex *contriduno* codicis scriptura ipse emendaverat *contra Poenos*. cap. 18, 12 paria eis prae*facturum* (s. scr. *statu*). — cap. 18, 17 *prope* totam Hispaniam (s. scr. *paene*). — cap. 30, 1. verba *per somnium videns* omissa a prima manu addita sunt a tertia, — ibid. rebus *perfractis* (deletis tert. m. litteris *fr* sup. scr. est *e* (?); *perfectis? peractis?*) — c. 30 §. 5, *ille alio loco abscondet* (s. scr. *illic alia equa ab suo initur*). Mihi quidem Salmasius ipse paulo postquam Iureti codicem descripsit apographon suum cum codice denuo contulisse et correxisse videbatur, quae minus recte a se posita vel omissa videret, alia vero ope coniecturae emendasse.

sit, ut bibliothecae Mon. custodem J. G. Krabingerum precibus adiret, ne codicem sibi permitti recusaret, eoque impetrato ipse domi, quae non satis erant perspicua, armatis oculis spectaret atque perlustraret sociumque sibi adscisceret Ottonem Iahnium. Quanquam ea non in laudem horum virorum mea quidem laude superiorum dixi, sed ut lectori, quam certa nunc iacta sint criticae in Ampelio exercendae fundamenta, etiam atque etiam persuaderem. Eorum diligentia effectum est, ut nonnullae lectiones eaeque optimae elicerentur, sicuti cap. 5 fin. *Circius* pro *Caurus*, cap. 46 fin. *comparassent* pro *reparassent*, et cap. 49, §. 2 *sequens* pro *sequitur*. Neque praetereundum hoc loco in emendandis Ampelii verbis praeter Halmium Iahniumque adjutoros mihi fuisse Car. Fr. Hermannum, Ern. a Leutsch, Car. Lud. Rothium, F. G. Schneidewinum, partim revocando me a pravis consiliis, partim meliora atque magis probabilia suppeditando, quibus omnibus gratias ago quam maximas *).

Adhibui praeterea editionem principem diu frustra quaesitam, donec Parisiis in manus meas incidit; sed magis ne quicquam praetermissum a me vel neglectum videretur, quam quod magnum inde fructum redundaturum sperarem. Multo magis me adiuverunt Duckeri et Tzschukkii editiones bonae frugis plenae: qui reliqui sunt editores nil fere profecerunt, nisi quod Beckius Tzschukkianae editionis commentarium latine conscriptum in patrium sermonem vertit: nec eorum numerum recensere huius est loci, quare lectorem ad Engelmanni bibliothecam philologicam relego. Addam tantum editionem Parisinam anni 1843, in qua unus tantum locus, quantum memini, nova coniectura non dicam emendatus, sed potius turbatus est: versionem francogallicam adiecit M. Verger.

---

*) Sciscitanti Rothio exstentne Ampelii codices in bibliotheca Vaticana Dresselius unum in catalogo libr. Mscr. notatum esse Reginae 1456 rescripsit; eum vero continere theologicos tractatus.

Haud parum denique auxilii critico accedit ex eorum scriptorum comparatione, quorum opera Ampelius excerpsisse videtur, Nigidii Figuli, Cornelii, Nepotis, Flori, aliorum : verum hac de re infra disserendum erit.

Cap. II. DESCRIPTIO LIBELLI AMPELIANI.

In tanta libri memorialis brevitate vix de conspectu operis dicere aggrederer, nisi multa nunc turbato ordine legi, multa etiam excidisse demonstrandum mihi esset. Nam ut mittam VIII priora capita, quibus de astronomia, geographia similibusque exponitur scite praemissis cap. 9, quae ad mythologiam pertinent, cap. 10 inscripto *de imperiis* ad memoriam rerum gestarum transit eum in enarrando ordinem secutus, ut primum Assyriorum reges, (cap. 11) deinde Medorum, (cap. 12) tum Persarum, (cap. 13) porro Lacedaemoniorum et Atheniensium reges ac duces, (capp. 14 et 15) dein Macedonum reges, (cap. 16) postremo res a Romanis gestas (17—29 et 39—50) perscriberet: hos enim septem populos imperium orbis tenuisse sibique per alternas quasi vices successisse ait cap. 10. Accedunt minora regna minoresque civitates; Parthiae, Cappadociae, Armeniae, Pergami, Bithyniae, Ponti, Aegypti, Carthaginiensium, Numidiae, Mauritaniae reges vel duces cap. 30—38, pauca de Thebanorum principatu, de Corintho, de Samo cap. 32. Apta sane argumenti descriptio nec multum a Trogi Pompeii diversa: sed hoc unum valde mirum est, quod Ampelius quae de minoribus regnis civitatibusque dicenda habuit, cap. 30—38 tractaverit, ita ut, quae de Romanorum rebus gestis exposita sunt, in duas partes dispescantur, id quod consilio ipsius scriptoris (vid. cap. 10) repugnare videtur.

At obiecerit mihi forsitan quisquam ea regna postea Romanae ditionis facta ideoque de iis tanquam partibus

imperii Romani suo loco expositum esse consiliumque auctoris minime turbari. Audio: sed tum Ampelio accurate de hac digressione monendum aut certe historia illorum regnorum et rerum publicarum usque ad ea tempora perducenda erat, quibus in provinciae formam redigerentur; id vero secus se habet.

Sed videamus, quomodo nos expediamus. Apertum est cap. 28 post verba „cum Albanis" lacunae signum ponendum esse restituendumque titulum quem liber Monacensis exhibet: P. R. cum quibus gentibus bella conseruit et quibus causis. Sequentia ad aliud quoddam caput pertinere et oratio aliter conformata et argumenti diversitas declarat: nam priore capite referuntur bella populi Romani cum exteris gentibus, duces Romanorum, causae bellorum (P. R. pugnavit cum . . . . sub . . . . propter . . . .), posteriore reges vel duces recensentur, qui centra Romanos bella gesserunt (N. N. rex vel dux . . . . qui . . . .). Quod cum sentiret Salmasius neque inter se ipsas has duas particulas neque cum titulo congruere, ex coniectura scripsit: Qui reges vel duces cum Romanis bella gesserunt.

Altera lacuna statuenda est cap. 39 sub finem post verba „propterque Tarquinios", eoque loco inserenda esse puto, quae cap. 28. de Pontio, Pyrro, Annibale leguntur, ut temporum ordine se excipiant:

39. Tatius rex Sabinorum, qui . . . .
39. Mettus Fuffetius, rex Albanorum, qui . . . .
39. Porsena, rex Etruscorum, qui . . . .
propterque Tarquinios * *
28. Pontius Telesinus, dux Samnitum, qui . . . .
28. Pyrrus, rex Epirotarum, qui . . . .
28. Annibal, qui . . . .
* * * *
39. Tiridates, qui . . . .

Quanquam ne sic quidem totum caput in integrum restitutum esse facile evincitur; nam exciderunt certe post Annibalem multi duces, certissime Iugurtha, Mithridates.

Iam optio dari videtur, utrum alteram cap. 28 partem cap. 39 inseramus, an totum caput 39 priori loco reponamus; accuratius vero rem examinanti secundam rationem probandam esse perspicuum erit. Nam quae cap. 37 exstant, „Iugurtha, qui scriptus est", cum ad cap. 18, ubi victi tantummodo Numidae commemorantur, Iugurthae vero ne mentio quidem iniicitur, nullo pacto referri posse pateat, ad nostrum haud dubie caput $^{39}/_{28}$ (Qui adversus P. R. arma sumserunt) referenda sunt, unde id ante cap. 37 collocandum esse compertum habemus.

Haec ex coniectura petita, sed satis ut spero probabili, comprobantur etiam codicis indiciis quibusdam, in quo cap. 29 bis scriptum est, scilicet post cap. 28 finem (post „Annibal . . . . superavit") et post cap. 39 (i. e. post „Tiridates . . . . restitutus est"). Optime. Sequatur igitur cap. 29 illud caput quod modo ex cap. 28 et 39 coniunximus.

Sed iterum duplex via patet: caput 29 enim post c. 28 scriptum excipiunt capp. 30—38, idem c. 39 excipiunt capp. 40—50. Diiudicandum igitur utrum capitibus 30—38 Romanae historiae enarrationem interrumpi velimus, an non. At certe nolumus, ut iam supra indicatum est: praestat, ut capp. 40—50 post cap. 29 collocatis et absoluta iam narratione de septem imperiis capp. 30—38, quibus de minoribus regnis civitatibusque exponitur, in fine opusculi ponantur. Quae cum mihi aliisque maxime probabilia viderentur, primo quidem immutatum hunc ordinem capitum in editione mea restituendum duxi; mox tamen Halmius dissuasit monuitque, ne sic quidem omnia expedita esse idemque Iahnium iudicare; si sibi meliora succurrerent, me hac de re certiorem facturum. Cuius sententiae ut accederem, etsi aegre a me impetrabam, redii tamen ad vulgatam lectionem, Halmium satis gravibus causis motum fuisse confisus. Superest, ut nec illum consilii, nec me poeniteat obsequii.

Naufragium sane passus est liber memorialis: multa

mutila, multa saucia, multa aspectu foeda. Fragmenta tamen nonnulla ex cap. **32** expiscari licet, quae quidem quo casu in hoc caput delata fuerint, prorsus nescio. Cum enim Ampelio de regibus Cappadociae et Armeniae agendum esset, pleraque quae illo capite continentur ab hoc argumento aliena ita cum genuinis scriptoris verbis intermixta et additis passim interpolationibus coniuncta sunt, ut vix totum caput in integras partes restitui possit.

Et prima statim verba „Tigranes qui iam scriptus est", quamvis a Tzschukkio et Beckio corrupta habeantur, bene sese habent; conferas modo cap. **33**: „Antiochus qui iam scriptus est" et cap. **37**: „Iugurtha qui scriptus est." Illud potius suspicionem mo et, quod cum de Tigrane iam expositum esse dicat, nihilominus aliquid addatur. Et quaenam, rogo? Mutila et inaudita: „qui tertio Punico bello perdomuit sub Mancino Cons. et Scipione Aemiliano." Iam ne quis Ampelium ipsum memoria lapsum esse suspicetur, evolvat quae cap. **18**, §. **19** et cap. **47**, §. **5** (quod ex nostra coniectura ante cap. **32** collocandum est) de Tigrane Armeniae rege a Pompeio victo bene licet paucissimis iam scripta sunt: quae vero cap. **32** de Tigrane legimus, tantum ab his et in universum a fide historica abhorrent, ut a librario quodam imperito, non ab Ampelio conglutinata esse facile concedas. Nam de gravi corruptela dubitari vix potest, quia accusativum obiecti desiderari vides, *Carthaginienses* nimirum vel *Carthaginem*, quam Mancino et Scipione Coss. captam fuisse tradunt scriptores. Male etiam nos habet quod ea pronomine *qui* ad Tigranem referantur; non enim Tigranem, sed *populum Romanum* subiectum requirimus, quibus verbis suppletis sententia quidem constabit: [P. R. Carthaginienses] tertio bello Punico perdomuit sub Mancino Cons. et Scipione Aemiliano.

Nunc quaerendum quid faciamus his verbis. Certe non sunt huius capitis neque pertinent ad capp. **18**, **24**, **46**, **47** in quibus excidium Carthaginis iam memoratum est: restant igitur unum tantum caput, quod hoc argumen-

tum non respuat, scilicet cap. 28 mutilum illud, [P. R. sub Romulo pugnavit cum Sabinis etc.] cui quin nostrum fragmentum non repetitis tamen verbis *populus Romanus* ex primo illius capitis enuntiato supplendis subiungendum sit, vix dubito.

Sed latius serpsit malum. Quippe ex nostro loco corrupto iam in antiquissimis libris alterius corruptela originem duxit, scil. cap. **46** §. **7**, de qua conferas praefationem criticam editionis meae.

Redeundum est ad cap. **32**. Excipit igitur Tigranem Brennus rex Armeniae, sive sic emendandum esse sive Ampelium Bellum pro Brenno scripsisse mavis. Corruptissima deinde, quae de Polycrate, Epaminonda et Periandro referuntur; quare ne coniectura quidem ea tentare animus est: id unum pro certo affirmare licet Ampelium non solum de Lacedaemoniorum et Atheniensium imperio c. **14** et **15**, sed etiam de aliis Graeciae civitatibus egisse eaque probabiliter in extrema parte opusculi collocavisse; negandum vero ea in capite de regibus Cappadociae et Armeniae exposita fuisse. His ego causis motus ea, ut etiam quae de Timoleonte subiecta sunt, inter fragmenta incertae sedis receperim, seclusis tamen verbis *rex Cappadociae* et *eius filius rex*, quae aut fragmenta cap. **32** habenda aut ab interpolatore quodam addita sunt.

Cap. III. DE GLOSSEMATIS, LACUNIS, ALIISQUE VITIIS CODICIS.

Duo refugia criticis in difficillimorum corruptissimorumque locorum diiudicatione esse satis notum est: alterum, ut si verba scriptoris minus facile expediri possunt, lacunam esse statuant; alterum, ut si quaedam verba explicationem respuant, ea ex glossematis vel ex interpolationibus docti alicuius indoctive librarii in ordinem irrepsisse iudicent. Quorum ii minime persuadebunt, qui in

uno alterove loco tantum, omni explicatu destituti coacti quasi ad glossemata et lacunas confugiunt; maxime, qui cum semel codicem quendam lacunis mutilum et glossematis inquinatum esse demonstraverint, locos corruptos sub unum conspectum ponant, glossatoris rationem ubique sibi parem esse et certis quibusdam indiciis agnosci demonstrent, quique denique externis argumentis veluti collatis locis similibus aliorum scriptorum necessitudine quadam inter se iunctorum lacunam vel glossema statuendum esse confirment. Quare ne, ubi in emandando Ampelio ad ea provoco, malis tanquam artibus consilii inopiam occultasse videar, plenius hac de re dicendum duxi.

1) *Glossemata* quae praefixis litteris *id ē* explicandi alicuius vocabuli causa supra scripta postea ab imperito librario in ordinem verborum recepta sunt. 8, 22 „Murus Babyloniae, quem Memnon aedificavit lapide (latere?) cocto, *id est calce,* et sulfure, ferro intermixtus.“ Equidem delevi verba *id est calce* ut addita a librario nescio πλίνθους hic intelligenda esse. Cfr. Hyg. fab. 223: Murus in Babylonia quem fecit Semiramis, Dercetis filia, latere cocto et sulphure ferro vinctum. Vib. Seq. append. 6. Murus Babylonis latere cocto, sulphure et ferro vinctus. — Eodem cap. §. 11 emendationem praeripuit Salm. — Dubitari potest de c. 49, 2: in suffragiis, *id est in populo Romano,* (C id est *in P. R.;* edidi *in re publica*) quae verba aut emendanda, aut prorsus delenda sunt.

Saepius vero factum est, ut librarius compendio litterarum deceptus *idem* pro *id est* scriberet. c. 7, 4: Ionium et Aegaeum (mare), quae Achaiam *idem Peloponnesi sumit ambium* (sic C: eandem Peloponneson simul ambiunt editt.) ut interveniente Isthmo paene insulam faciant. In *idem* latent glossatoris verba *id est,* qui ne quis Achaiam perperam intelligeret, quasi de parte tantum Peloponnesi propria notione dictum esset, cavere voluit, nimis ille sollicitus, cum hic usus Ampelio familiaris sit. Cfr. 8, 4 Sicyone in Achaia; 28, 3 Pyrrus cum Achaiam armis sub

se redegisset; 8, 6 Argis in Achaia (sic scripsi: vulgo *Inachiae*), quibus opponuntur Argi in Epiro 8, 3. Quare edidi: quae Achaiam [*id est Peloponnesum*] *ita* ambiunt, ut etc. — Cap. 14, 7 delevi *idem Mardonius*, 18, 4 *idem Serranus*. — Cf. etiam praef. crit. ad 14, 4 *id est quinquageni*. —

Glossemata, quae item explicandi alicuius vocabuli causa adscripta sunt, notam vero illam suspicionis, litteras *id ē* praefixas non habent. Glossatoris manus c. 8, 16 „sub divo *caelo*" agnoscitur coll. Isid. orig. 16, 4. (cfr. praef. crit.) — Eodem iure delendum erat *caelo* 8, 15 — *Cancrum* post *carcinumque* expunxi 2, 4 — *Macedonia* uncis inclusi 16, 3. — 18, 5 (*Senonum gente deleta Gallorum*) *Gallorum* uncis incluseram ob singularem verborum ordinem: cfr. tamen 20, 7; 45, 1 et Auct. de vir. ill. 23. —

2) *Lacunae*. C. 2, 12 lucunam indicavi ex Nigidio et Hyg. fab. 197 explendam; aliter Salmasius, qui in exercit. Plin. p. 281 verba *in ora fluminis* delevit. — 8, 23 supplendum est nomen proprium *Cheops* vel *Moeris* addendumque *altae pedes sexcentos*, ut et apud Hyg. fab. 223 (vulgo *sexaginta*) ex auctoritate Vibii Seq. append. 7 aliorumque restituendum est. — c. 12. De hac lacuna infra dicendum in capite, quod est de Trogo Pompeio. — 15, 9 Post *Miltiades* . . . . *superavit* excidisse videtur *Themistocles* . . . . . Cfr. Corn. Nep. — 27, 2. 3. Displicet Ruperti coniectura I, 5 ad Pompon. de O. J.: *Spurius Maelius, cum frumentaria largitione, agrariis legibus, factione dominationem parare videretur, iussu . . . . occisus est*. Cfr. Flor. epit. I, 17, qui quamvis et ipse mutilus (in lacuna latet *Maelium frumentaria*) haud dubie de utroque Spurio Maelio et Spurio Cassio commemorasse agnoscitur: eum vero Noster secutus est capp. 25. 26. 27. — De reliquis lacunis in praef. crit. iam monitum est.

3) *De mendis scripturae*. Cum in aliis codicibus alia regnare soleant vitiorum genera, alii librarii in alia sint

procliviores vitia deque codice archetypo quaestio multitudine librorum Mscr. turbari nequeat, eos locos, qui eadem laborant corruptela, sub unum conspectum ponam, quo magis omnes eadem etiam medela sanandos esse lectori persuadeam.

a) Dittographiae. 14, 1 *regna* regnaverunt. 19, 8 *Cato* delendum erat cum Halmio. 27, 5 *in* incendium. 34, 1 terrore nominis *sui* uictus. (Aur. V. de vir. ill. 78. Pharnacem fama nominis fugavit.) 14, 6 et 20, 1 *qui* bis scriptum redundabat.

b) Omissa a librario propter similitudinem vocabuli praecedentis vel sequentis: 9, 10 *quae* (om. C) quadrigas; 19, 11 *qui* (om. C) quia: 15, 19 scrib. ob concinnitatem stili *qui* (om. C) *uir*: hac de causa 20, 11 nolui scribere „pontifex *qui* (om. C) ardente templo Palladium extulit", sed praestare putavi ponti*fex qui ex* ardente . . . . . coll. Liv. per. 19. — 37, princ. conieci *Syphax rex* pro *Syphax:* 45, 3 edidi prope *tota* (om. C) I*ta*lia coll. 11, 2 prope totam Asiam, 18, 17 prope totam Hispaniam; 42, 3 prope totam Italiam. — *Et* saepius excidit aut post *est* aut post tertiam pers. sing. perf. activi in *it* terminantem. *Ac* inter litteras *a* et *s* excidit 8, 12 dextra *ac* sinistra; 14, 6 morte sua *ac* suorum. — *Quem Musae* scribendo pro *quae Musae*, quod est in C et editt. insigniter emendatur 2, 9. — *Antiochiam* 31, 1 depravatum est in *Abarridam* ob verba praecedentia „*abarrida* frater eius iussus" etc. (leg. ab Aridaeo fratre): illud primus restitui ex Appiani Syr. c. 56.

c) Compendia scripturae. Iam in codice archetypo compendium *p. r.* vel *p. ro.* usitatum fuisse ansamque corruptelae praebuisse constat ex his locis: 19, 6 C summum *pro* favorem consecutus (edidi *populi Romani;* editt. *pro eo*); 20, tit: pro *populi Romani* (om. C) salute; 47 princ. supplevi *P. R.* ante *per* Flamin. coll. capp. 44 et 46 princ.; 18, 12 C *p̄ facturum:* emend. cum Freinsh. *P. R. futurum.* — De altero compendio (*r. p.* = res

publica) constat ex loco corrupto 18, 4, ubi C *iptatum* pro *rei publicae statum.* Hinc diiudices, num recte 49, 3 restituerim *in re publica* pro codicis scriptura *in P. R.* — Erravit librarius in numeris describendis 14, 2, ubi *septem invisi* pro *septingentos usi;* 16, 2 *triginta* pro *trecenta;* 28, 4 *quindecim* pro *XXV; duces* et *ducentos* confudit 13, 3 et 47, tit.; *duo* pro *ii* 8, 3. — Ex compendio $\bar{t}$ (= *ter* vel *tur*) archetypi harum in Divionensi corruptelarum origo repetenda esse videtur: 7, 4 *invenientes hemo* pro *interveniente Isthmo:* emendavi *inter* sidera pro *in:* 8, 3 *dicunt* pro *dicuntur*: 8, 17 *movet* pro *movetur* (?). — De $\bar{e}$ (= *est*) supra vidimus, cum de confusis inter se *id est* et *idem* dissererem; addam nunc 8, 13 ubi C: Samo in templo Iunonis *e*sciphus factus *est* (*est* del. pr. manu, quod in praef. mea siletur) ex hedera; emend. *est scyphus.* cap. 10 *potitis* (i. e. *potiti* $\bar{s}$) pro *potiti sunt.*

Iam cum scripturae compendia rara admodum in codice archetypo, id est Divionensis parente, indagari possint eaque tantum occurrant, quae vel in antiquissimis libris usurpantur, illum archetypum, vetustissimum, saeculo fere X exaratum fuisse iudicandum est: ipsum Divionensem antiquissimum fuisse Salmasius in praef. professus est. Quanquam et illud Salmasii lectori inculco: Fatendum est et non pauca haberi, quae sine ope melioris codicis vix a quoquam possint emendari.

QUAESTIONES HISTORICAE.

De fontibus Ampelii disputanti mihi non id tantum agendum erit, ut quantum auctoritatis ac fidei Ampelio tribuenda sit demonstretur, quam vereor ne plerique haud magni faciant, sed videndum simul, possitne ex his quaestionibus et iis locis, quae apud Nostrum corrupte leguntur, et iis ipsis scriptoribus ex quibus Ampelius sua hausit aliquid lucis afferri. Et in universum quidem constabit inter viros doctos Ampelium in singulis opusculi sui partibus, prouti ferebat argumenti diversitas, singulos sibi auctores quasi duces elegisse eosque ad verbum fere descripsisse, nisi quod argumentum pressius et parcius perscriberet. Versatur igitur in iisdem erroribus quibus et illi tenentur; nusquam emendasse videtur, quae apud auctorem suum errata erant; nihil fere de suo addidit; saepius ipse, quae erat eius socordia et negligentia, primus in fraudem incidit.

Quos laudat Homerum (9, 2) et Sallustium Crispum, (19, 8, quem locum non afferunt Sallustii editores, et cap. 30, 5) iis vix plura in hoc libello debentur, quam quae eorum verba tribus illis locis attulit: nam Homero omnino nullus locus erat, Sallustii vero memoriam paucorum tantum annorum scriptis suis colligantis et historiae et reliqua opera prolixiora erant, quam quibus Ampelius pro brevitate sua uti voluisset. Mihi sane totus liber memori-

alis ex auctoribus admodum paucis excerptus esse videtur.

Cap. 1—5. cf. cap. 4 de Nigidio Figulo.
Cap. 6—7. Geographica ex incerto fonte.
Cap. 8. Miracula mundi. cfr. cap. 9.
Cap. 9. Genealogi. cfr. cap. 5.
Cap. 10—13. Ex Trogo Pompeio? cfr. cap. 6.
Cap. 14 et 15. Ex Cornelii Nepotis libris de ducibus et de regibus. cfr. cap. 6: item
Cap. 30—38 ex parte fortasse Nepoti debentur.
Cap. 17—29; 40—47, quae ad historiam Romanam pertinent, magnam partem ex libro de viris illustribus (vid. cap. 7) et ex Floro (cap. 8).
Cap. 48—50 probabiliter ex Cicerone de re publica (cap. 8).

Cap. IV. DE NIGIDIO FIGULO.

Antiquissimus est eorum quorum libros Ampelius excerpsit Nigidius Figulus: cuius de studiis atque operibus Mart. Hertz nuper doctissimum libellum edidit. Quodsi neque hic neque Rutgersius in Nigidii fragmentorum collectione (vid. var. lectt. libro tertio) Ampelii mentionem fecit, id in obscuritate nostri scriptoris excusandum putamus, quamvis et ipsis Nigidii verbis inde emendandis et novis quibusdam huius scriptoris fragmentis eruendis multum fructus ex Ampelio percipi posse certum sit.

Quae enim in scholiis ad Germanici versionem Arat. Phaenom. laudantur Nigidii fragmenta ex eius libris astronomicis petita 1) de scorpio 2) de virgine 3) de geminis 4) de leone 5) de tauro 6) de ariete 7) de piscibus 8) de aquario 9) de capricorno 10) de sagittario, ea totidem fere verbis apud Ampelium cap. 2 recurrunt suppresso quidem auctoris nomine et alio ordine collocata, sed qua

ipsa diversitate Nigidiana origo aperte prodatur. Ne enim Ampelium illos Commentarios excerpsisse statuamus, quod Beckii est iudicium, („Uebrigens ist fast dieses ganze Capitel aus dem Scholiasten des Germanicus zu Aratos Phaenomena übergetragen" in adnot. ad cap. 2) impedit et mutatus ordo et plenior interdum apud Ampelium enarratio, ut exempli gratia in virgine et sagittario, maxime vero id, quod ad cancrum et libram, de quibus Amp. §. 4 et 7, ille Germanici scholiastes nullum Nigidii locum laudaverit, et eo loco, qui est de libra, a Nostro magnopere dissentiat. Iam quod ad ordinem in enumerandis duodecim signis pertinet, tenendum est scholiastam, prout in Phaenomenis signi cuiusdam mentio facta erat, commentario suo Nigidii verba inseruisse, itaque fragmenta illa Nigidii non suo ordine servata esse; Ampelium vero, si ipsum Nigidium ad manus habuit, necessario duodecim signa pristino ordine disposita enumerasse. Apud Ampelium igitur haec sunt 1) aries 2) taurus 3) gemini 4) cancer 5) leo 6) virgo 7) libra 8) scorpius 9) sagittarius 10) capricornus 11) aquarius 12) pisces. Scio quidem Aratum, Joa. Lydum, Fonteium aliosque non arietem constanter primo loco posuisse, sed alios alia signa: Ampelium vero cum Nigidio facere luculentus testis est schol. ad Germ. v. 223, ubi refertur: „Nigidius hunc (scil. arietem) dicit ducem et principem esse signorum zodiaci circuli", quod Nigidio commemorare necesse non fuisset, nisi in ordine a ceteris scriptoribus dissensisset.

Sed res ipsa postulare videtur, ut ad confirmandam nostram sententiam, quae si vera est, nova Nigidii fragmenta lucramur, et illa removeamus, quae contra nos proferri possint. Dixerit enim quispiam Ampelium, cum varia interdum et inter se diversa tradat, pluribus auctoribus usum esse, quo facto Nigidiana habenda esse, in quibus plenior est Noster, certo fundamento affirmari amplius non posset. Sic statim §. 1, postquam de ariete, qui Libero in Libya dux aquae fuerat, iisdem fere ac scholiastes verbis

secundum Nigidium narravit, addit: *alii putant* eum esse, qui Hellen et Phrixum vexerit. At ne haec quidem ad infringendam sententiam meam valent. Quamvis enim, quae de Helle et Phrixo modo commemoravi, in scholiorum editionibus nominatim inter Nigidii fragmenta non exstare bene sciam, largiendum tamen est Ampelium, qualem et alibi deprehendimus, talem et hoc loco sese praebuisse et in uno Nigidio multifariae doctrinae auctore acquievisse.

Accedit iam codicis Parisini, antiquissimi scholiorum Arateorum libri, testimonium: is enim (teste Merkelio ad Ovid. fast. praef. pg. LXXXVII) Nigidiana de Liberi ariete narratione ad finem perducta addit, quae in edd. omnibus desiderantur: „caetera ut superius scripta sunt refert." Supra vero scholiastes notissimam fabulam de Phrixo et Helle ex Hesiodo et Pherecyde uberius narraverat: quam cum iterum a Nigidio commemoratam inveniret ex eius libro ut decantatam recoquere noluit, sed illa verba addidisse satis habuit. Eandem ob causam Nigidii de cancro narrationem omisit, nimirum quod eam iam ex Panyaside retulerat. Cfr. etiam schol. ad geminos infra adscripta.

Quas igitur Ampelius laudat diversas mythologorum sententias, omnes iam apud Nigidium expositae erant, et si quae exhibet, quae inter fragmenta Nigidii ex scholiis illis deprompta desiderantur — exhibet autem nonnulla — his ad complendam fragmentorum collectionem utendum erit.

Quibus praemissis iam liceat speciminis causa Nigidii et Ampelii verba inter se conferre, quo et quam accurate conspiret uterque melius perspiciatur, et quae apud alterum corrupta sunt, alterius ope emendari possint.

Amp. 2. 3. Gemini qui Samothraces *nominatur esse*, quorum argumentum nefas est *pronuntiare praeter* eos, qui *in his praesto sunt.* Alii Castorem et Pollucem dicunt,

Nigidius (suppl. geminos) *deos* Samothracas dixit, quorum argumentum nefas sit *enumerare propter* eos, qui *ministeriis praesunt.* Item dicit Castorem et Pollucem

quod ii principes mare *tutum* a praedonibus praestitissent.	Tyndaridas Geminorum honore decoratos, quod principes pacationis dicantur, quod mare *totum* praedonibus maleficisque pacatum reddidissent.

Restituendum Nigidio: *enunciare praeter eos, qui mysteriis praesunt*, infra *tutum* pro *totum*; Ampelio: *qui* [*dii*] *Samothraces* et *qui initiis praesunt*.

In scholiis ad Germanicum haec obiter emendamus: ad v. **146**. Cancer, quem *miratus* Hercules contrivit: scrib. *iratus* coll. Eratosth. Catast. θυμωθεὶς δ' Ἡρακλῆς δοκεῖ τῷ ποδὶ συνθλάσαι αὐτόν. — ad v. **223**: Subito aries ex arena *exivit*; Rutg. *exsiluit:* cfr. tamen Hyg. fab. **133**: subito ex arena aries dicitur *exisse*. — ibid. *Praeterea* aries dux aquae coeli sidera consecutus: leg. *prop*terea coll. Amp. I. 1: *ob eam rem* a Iove petiit (Liber), ut inter sidera reciperetur. — ad v. **285** Cod. Par. teste Merkelio l. l. pg. LXXXVIII: „Igitur iid immortales postquam typhonem * *sed ideo* (haec dele: Merk.) poena affecerunt. Leg. *digna* ex Amp. **2**, **10**: igitur dii immortales postquam Typhonem *digna* poena affecerunt.

Et Hyginum fabularum, seu potius genealogiarum scriptorem Nigidio, quamvis eius nusquam mentionem faciat, usum esse, immo multa impudenter fere ab eo mutuatum esse, qui Hyg. fab. **133** cum schol. German. diligenter contulerit, iure suo concludat: conferat praeterea fab. **197** cum Nigidio. Ne in Hygini quidem excerptis, quae in Dosithei libello graecolatino continentur, Nigidianae originis vestigia plane extincta sunt. Cf. verbi causa Genealog. **4**, **2** (pg. **69** ed. Böcking): Taurus a Neptuno Iovi concessus est, quod sensum *hominum* habuit. Amp. **2**, **2**: Taurus, quem Iuppiter a Neptuno fratre per gratiam abduxit, qui (quia ?) sensum *humanum* figura tauri continebat. Schol. ad Germ. v. **173**: Nigidius hunc (taurum) Iovem a Neptuno fratre per gratiam adduxisse (Rutg. recte

abduxisse), qui in figura tauri sensum *humanum* haberet. Primo loco tamen *humanum* pro *hominum* reponas, cui respondent graeca verba *διάνοιαν ἀνθρωπίνην* *).

Iam cum Ampelium cap. 2 Nigidio usum esse demonstratum sit, et capp. 1. 3, 4 et 5 ex eodem Nigidio fluxisse videri possint, praesertim cum eum de ventis scripsisse sciamus duodecimque signa cap. 4. eodem ordine sint enumerata, quem et altero secutus erat Ampelius. Sed Nigidii fragmenta ab aliis scriptoribus servata, quae huc faciunt, (Gell. 3, 10, 2 = Amp. 3, 3: idem 2, 22, 31 = Amp. 5, 2: Schol. ad Germ. Prognost. = Amp. 5, 1) et rara sunt et minus accurate cum Ampelio congruunt, quam ut illae coniecturae multum tribuas. Quare rem in medio relinquam. Illud demonstrasse mihi videor totum cap. II libri memorialis ad unum referendum esse auctorem, Nigidium: cuius libros si quis Ampelio ad manus fuisse neget, plenioribus certe Germanici scholiis usum esse concedet. **).

Cap. V. THEOLOGI, GENEALOGI.

Fuisse ait Cicero de Nat. Deor. III. c. 17 et 21 inter scriptores veteres — genealogos vel theologos vocat, *ποιητάς* Io. Lydus — qui cum in poetarum fabulis et fama vulgari diversa de uniuscuiusque dei stirpe tradita invenissent, plures eiusdem nominis deos, alios aliis oriundos

---

*) §. 7 Geneal. post voc. *Ζυγός* vel *Libra* lacunae signo posito cetera ad *Scorpium* referantur, quo demum signorum XII nomina complentur. — Mox pro *Τοξότης αὐτός* leg. videtur *οὗτος*: latine Sagittarius *hic*: sic infra *ὑδρόχοος οὗτος* et *ἰχθύες οὗτοι*.

**) P. S. Prodiit nuperime Berolini Alfr. Breysigii de P. Nigidii Figuli fragmentis apud scholiasten Germanici servatis dissertatio inauguralis, quam quibus eam inspicere licet conferant lectores: equidem, cum mandassem bibliopolae ut eam mihi transmitteret, repulsam tuli.

parentibus distinguerent, itaque illorum dissensiones facili sane negotio componerent. Ex quorum scriptis haud pauca referuntur fragmenta ab ipso Cicerone, deinde a Lactantio, Arnobio, Firmico Materno, Clemente Alexandrino, Ioanne Lydo, denique a Nostro cap. 9. Et in summa quidem re consentiunt inter se, in paucis discrepant, ita tamen, ut omnes fere ex iisdem libris graecis (cfr. Cicer. §. 60) hausisse credibile sit.

Iam ut Ciceronem ipsos graecos ad manus habuisse, non alios auctores, ex. gr. Varronem secutum relata referre uno luculento exemplo demonstrem, conferenda sunt quae §. 5, 8 de quinque Dionysis scripsit. Inter quos quod ne unum quidem Iovis et Semelae filium fuisse dicat, ut vulgo traditur, sane est in quo offendas et in quo iure offendit Sehoemannus: „Es ist auffallend, dass hier gerade der in der gewöhnlichen Mythologie als Sohn des Zeus und der Semele vorkommende übergegangen ist.“ Explicatus tamen in promptu est. Cum enim Cicero quartum Liberum Iovis et Lunae, Ampelius eundem Semelae filium, Io. Lydus *Διὸς καὶ Σεμέλης* dicat (de mens. lib. 4), modo Ciceronem in suo exemplari *Σελήνης* pro *Σεμέλης* legisse statuerimus, omnia expedita erunt. Hinc et consequitur, quod aliis praeterea argumentis firmari possit, Ampelium non Ciceronem, sed alium quendam scriptorem, ipsos fortasse theologorum libros graecos ante oculos habuisse. De iis, nisi ad coniecturas descendere vis, plura dici non possunt: quare nunc iam id aggrediar, ut Ampelii locos corruptos, si possim, emendem.

Primum igitur scriptores supra laudatos, Ciceronem, Arnobium, I. Lydum etc. cum Ampelio comparanti mihi et inquirenti simul, in quibus Noster ab iis dissentiret, id prae ceteris conspicuum erat, quod deorum parentes saepius cum avis confuderit. Sic §. 11 Saturni et Semelae filium quartum Liberum dixit, cum dicendum erat: Iovis (Saturni filii) et Semelae filium. Eodem modo §. 3: tertius Sol Nili filius, pro „Vulcani, Nili filii filius.“

Haec equidem, quippe qui Ampelium et alias in multis errasse compertum haberem, ut a librariis depravata corrigere non ausus sum, sed eos locos correxisse satis habui, ubi librorum scriptura lenem medelam admitteret. Sic §. 12 pro vulgato: Primus Hercules Iovis *et Aetheris* filius scripsi Iovis *Aetheris filii* filius, Io. Lydum secutus, qui eum *Διὸς τοῦ Αἰθέρος καὶ Λυσιθόης τῆς Ὠκεανοῦ* filium esse scribit. In aperto enim erat, in verbis *et Aetheris* aut matris nomen latere, aut aliquid restituendum esse, quod ad patrem Iovem accuratius definiendum valeret. Eadem ratione correxi §. 7: prima Diana Iovis *Croni* (editt. Iovis *vel* Croni) filia ex Proserpina, reponendo scilicet *Cronii* id est Croni filii. (O. Iahnius mavult *Chthonii.*)

Quibus perpensis iam viam munitam esse arbitror ad locum corruptissimum emendandum, qui exstat §. 8: Secundus Aesculapius *Lai* filius. Collato enim I. Lydo de mens. 4, 90 „*δεύτερος Ἴσχυος τοῦ Ἐλάτου καὶ Κορώνιδος*" dubium non erit, quin restituendum sit *Elati* nomen, centauri illius, Chironis collegae, a quo Aesculapium medicinam didicisse narrat Noster 2, 9.

De quinto Hercule Cic. de Nat. Deor. 3, 16, 42: Quintus *in India,* qui Belus dicitur. Ad quae Schoemannus: „Von einem Belus in Indien kommt sonst nirgend etwas vor: eher dürfte mit Gesenius in der Hall. allg. Encycl. d. W. u. K. VIII. 401 an Babylonien zu denken sein." Sed Ampelii verba: quintus qui cum rege *Medorum* pugnavit ad faciliorem ducunt coniecturam, scilicet ut scribamus *in Media,* quam sententiam Halmio probatam esse summopere gaudeo.

Cap. VI. TROGUS POMPEIUS; CORNELIUS NEPOS.

Trogo Pompeio deberi videntur, quae capp. 11—13 de regibus Assyriorum, Medorum Persarumque legimus. Nam in hac ipsa historiae parte nescio quem potius auctorem

sequi potuerit quam Trogum Pompeium, cuius in libro primo de illis regnis uberius eodemque ordine expositum erat, quem et apud Ampelium habemus: accedit, quod Ampelii intererat in diversis libri sui partibus diversos adire fontes, ne leviter tantum litteris tinctus videretur. Quanquam paucissima sunt, quae ex historiarum Philippicarum exordio desumpta sunt: nam si discesseris ab XI capite, XII restat, mutilum ut infra exponam; XIII vero fin. (Darius et Xerxes) ita cum Graecorum historia cohaeret, ut paragr. 3 et 4 itemque quae infra in Graecorum rebus secundum Nepotem adumbrandis de bellis Persicis narrat, ex Trogianis et Cornelianis mixta esse videantur.

Quo minus vero de Trogo ab Ampelio adhibito quaestionem ad lucidum perduci posse confido, eo magis de lacuna dicendum est cap. 12. Ut enim externa huius capitis species vix duas paragraphos complectentis suspicionem movet, cum capp. 11 et 13 ex quatuor constent, sic et internae rationes, id est verborum ipsorum accurata disquisitio idem confirmare videntur. Hanc ob causam Perizonius pro vulg. „Arbaces, primus rex, qui Assyriorum opes luxuria Sardanapalli transtulit eosque iustissime rexit“ restituerat „. . . transtulit *in Medos* eosque etc.“ poteratque, cum *transferre* vix absolute dici posse bene sentiret, Trogi arg. libr. I afferre, ubi plane eadem leguntur: „Imperium Assyriorum a Nino rege ad Sardanapalum. Post quem translatum est per Arbactum (variant Codd.) ad Medos, usque ad ultimum regem Astyagen“, quibus respondet Iust. I. 3: is imperium ab Assyriis ad Medos transfert. Sed restat alterum inquirendo dignum et ab interpretibus plane neglectum, sequentia verba possintne recte ab Arbacem referri an non. Ego vix crediderim, quippe qui de insigni Arbacis iustitia nil unquam legere meminerim Deiocemque potius hanc ob virtutem laudari sciam. (cf. Herod. I. 100. Diod. VIII. frg. 19 Becker). In qua re diiudicanda dolendum est, Trogi Pompeii de hoc rege ne verbum quidem extare neque in arg. lib. I neque apud

Iust. I. 4; sed iam nobis subvenit, qui saepissime Iustinum exscripsit et ipso cap. 19 lib. I. princ. et fin. ubi de Sardanapalo et Cyro exponitur, aperte Iustinum secutus est, (cfr. Beck de Orosii fontibus et auctoritate §. 3, et Moerner de Orosii vita) medio vero integrum sane Trogi exemplar inspexisse videtur — Paulus Orosius, non ita quidem, ut de Deiocis iustitia disertis verbis moneat, sed quod Arbato Phraortem successisse scribat, Phraorti Deiocem, „qui auctum late imperium moriens Astyagi dedit.“ Sic enim nil amplius offensae habet, quod apud Ampelium post verba „iustissime rexit“ Astyages sequatur, plane ut apud Orosium: qui uterque, cum ceteri scriptores omnes Deioci Phraortem, Phraorti Cyaxarem successisse tradiderint, Trogo usus esse videtur. Suppletis igitur Phraorte et Deioce post Arbacem XII Ampelii caput magnitudine capp. 11 et 13 plane adaequabit. — Singulare etiam est, quod in prol. II. lib. Trog. *omnium* codd. consensu Persarum duces dicantur *Datis et Tissaphernes*, qua in re iterum Trogo unus Ampelius adstipulatur. (15, 19 praefectis Date et Tisapherne). Cetera ipse conferas, benevole lector. Cf. etiam Iust. I. 9 et 10 cum Amp. 30, quamvis de hoc cap. aliter statuat Beckius: adnotat enim ad 30, 2 Patizithae] Von Herodotos, dem Ampelius in seiner Erzählung folgt, weicht Iust. I. 9 ab. Ibidem ad *reddere*] Anders erzählen dies Herod. III, 64. Iustin. I, 9. 8.

De *Cornelio Nepote* paucis absolvi poterit, cum iam Rinckius omnes Ampelii locos, qui ex Nepote (Aemilio Probo) fluxisse videntur, diligenter congesserit, utriusque scriptoris verba tam accurate sibi respondeant, ut et qui in Nepote illustrando elaborarunt, (Rinckius prolegg. ad. Aemilium Probum pg. XIII ed. Rothii: Nipperd. praef. ed. maioris fin.) et qui in edendo Ampelio operam collocaverunt, Tzschukkius et Beckius Ampelium sua ex illo scriptore hausisse consentiant omnes, cuius librum adhuc superstitem recte inscribi *de excellentibus ducibus*, non *de ex-*

cellentibus imperatoribus, et ex titulis capp. 14 et 15 Amp. (Clarissimi duces Atheniensium — Lacedaemoniorum) apparet. Integra vero inscriptio haec est: 14 Duces et reges Lacedaemoniorum, 15 Clarissimi reges et duces Atheniensium. Iam cum in his, ducibus scilicet, Nepotem sit secutus, quis est, qui non et illos, reges dico, utriusque capitis principio praemissos ex eiusdem Corn. Nepotis lib. de regibus fluxisse ultro suspicetur? In qua tamen coniectura id mirum videri possit, cur Ampelius 14, 4 Othryaden attigerit, „virum bellatorem", qui neque dux neque rex, sed gloriosa tantum morte insignis, vix materiam vitae singularis conscribendae praebere potuisse videtur. At hunc Nepotem in Leonida comparantem utriusque virtutem et gloriam commemoravisse ex Val. Max. III. 2. ext. 3. 4 concluditur, quae ex Trogo Pompeio (cfr. Kempf, praef. ad Val. pg. 26 pr.) vel hanc ob causam hausta esse nequeunt, quod is quingentos vel sexcentos (Dübner ad Iustin. II. 11, 15) cum Leonida occidisse tradidit, qui a Nepote pendent, trecentos; neque ullus est praeter Nepotem, cuius libris in hac re uti poterat Valerius: (Kempf praef. pg. 26 pr. pg. 18 inf.) hinc etiam Flori error (II. 2, 14) Othryadam cum Leonida confundentis.

Singularum vitarum ordo, de quo magna est inter philologos controversia, in Corn. Nepote hic est:

	Amp.		Amp.
Miltiades	15,10.	Timotheus	
Themistocles		Datames	
Aristides	15,11.	Epaminondas	32,3.
Pausanias	14,7.	Pelopidas	
Cimon	15,12.	Agesilaus	14,10.
Lysander	14,8.	Eumenes	[33,1.]
Alcibiades	15.13.	Phocion	15,18.
Thrasybulus	15,14.	Timoleon	32,5.
Conon	15,15.	(De regibus)	
Dion	15,16.	Hamilcar	(36,2)
Iphicrates	15,17.	Hannibal	(28,4)
Chabrias	15,19.		

Qui cum plerumque cum Ampelio congruat, nisi quod hic pro libelli sui descriptione (cf. cap. 10 et diss. meae cap. 2) Lacedaemonios, Athenienses, reliquae Graeciae duces, denique barbaros suis quosque capitibus complectatur Phocionemque medium habeat inter Iphicratem et Chabriam, nolim cum Nic. Titzio eum a librario quodam medii aevi invectum dicere. Immo ipsa illa Ampelii discrepantia, quamvis Chabrias Phocioni multum aetate antecedat, nescio an sit probanda, quippe quae ipsius Nepotis verbis firmari videatur. Negat enim in Timotheo 4, 4, post obitum Iphicratis, Chabriae, Timothei quemquam ducem Atheniensem fuisse dignum memoria, quasi immemor Phocionis, cuius vita mox subiungitur: hac igitur post Iphicratem collocata Nepoti satisfecisse mihi videor. Cui quantum se addixerit Ampelius, inde maxime intelligitur, quod, cum ipse Graecae tantum gentis duces a barbaris seiungeret (cfr. de regibus, initio) Dionemque Syracusanum iure suo inter Cononem et Iphicratem Athenienses insereret, in hoc ordine et Ampelium a se ipso deficientem (tit. 15 duces Atheniensium) habuerit asseclam. Denique Eumenes et Datames, quos nunc tenent, locis sunt movendi.

Supersunt duo duces ab Ampelio commemorati, in Nepotis vero libello desiderati, Xanthippus (14, 9) et Demetrius Phalereus: de quo quae Amp. 15, 19 narrat, ex Nep. Milt. 1, 6, 4 repetenda esse videntur; illius vitam nescio utrum Nepos conscripsisse an Xanthippi in vita Reguli meminisse putandus sit.

Haec hactenus de capp. 14 et 15, id est de Lacedaemoniorum et Atheniensium ducibus ac regibus. Sequuntur cap. 32 fragmenta (vid. supra cap. 2) de reliquorum Graecorum ducibus tyrannisque, de Polycrate, Epaminonda, Periandro, sed ita mutila, ut praeter nomina vix quidquam sanum sit. Unus Timoleon *) integer evasit, quasi

*) Timolentea (Amp. 32, 6) ex Nepote descripta esse recte mo-

ut unus tantae cladi superstes nobis et illam libri memorialis partem ex Nepote haustam esse nuntiaret.

Quae de barbaris apud Amp. 30—38 narrata sunt, excepto uno Eumene et Hamilcare (33, 1 et 36, 2) apud Nepotem aut omnino non leguntur, aut aliqua ex parte cum eo dissident; de Hamilcaris certe filiis quattuor nil apud Nepotem extat: et in Eumene quamyis Nepotem ante oculos habuerit, valde tamen dubito, num barbarica omnia ad Nepotem referre liceat auctorem. Si enim cap. 32, ut supra exposui, maxime turbatum et corruptum esse, Eumenem autem princ. cap. 33 commemoratum neque Asiae neque Pergami unquam regem fuisse reputaveris, id quod cap. titulus innuit, et quae de Eumene leguntur inter fragmenta numeranda esse censebis, quae naufragio illo huc delata sunt. Nam sicuti Polycrates, Epaminondas, Periander, Timoleon quasi appendicis loco ad capp. 14 et 15 adiecti sunt, ita et Alexandri *διαδόχους*, qui dicuntur, proprio capite enumeratos fuisse coniicias. (cf. etiam 31, 1 de Seleuco, qui inter Parthorum reges recensetur) Igitur Nepoti valedicamus: alia nos indicia ad auctorem libri de viris illustribus ducunt, de quo statim sum dicturus.

Cap. VII. HYGINUS DE VIRIS ILLUSTRIBUS.

De auctore et aetate libri qui inscribitur *de viris illustribus urbis Romae* magnam olim ortam esse altercationem multumque adhuc ambigi inter philologos nemo est qui nescit. Multi enim Aurelio Victori tribuendum esse censent; alii XIV vel XV saeculo ex Livio scholarum in usum excerptum esse dicunt; (Meier in Zimm. Z. A. W. 1835, № 130, pg. 229) Borghesius huius libri originem

---

nuit Arnoldius. Ceterum et de tyrannis Nepotem in libris suis egisse ex Polycratis mentione capitisque 15 par. 7 et 8 liquet.

ex elogiis repetens patronum invenit sententiae suae Niebuhrium; (hist. Rom. vol. III. pg. 430) Beckerus contra et Zellius (röm. Alterthumsk. I. pg. 56. Z A. W. 1846. pg 1080. C. Zell, die röm. Elogien Stuttg. 1847 et in epigraph elem.) armis equis repugnant; Plinio, quem codices omnes in inscriptione libelli exhibent auctorem, nemo certe patrocinatur; plerique forsitan libellum ex antiquiore quodam scriptore excerptum esse putant.

Quorum ego iudicio tutissimo libenter accedo, qui abruptum illud dicendi genus parum convenire sentiam cum Sallustiano vigore, qui per Aurelii Victoris Caesares regnat; idemque summopere miror, tam multa eaque gravissima auctorem silentio praetervectum esse. Nam quod in Ciceronis vita nobilissimae Catilinae coniurationis, in Camillo incendii Romae ne mentio quidem iniecta sit, quis est, qui non miretur? Quis nimis succincte expressa esse neget, quae in vita Scipionis Africani de celeberrima pugna Zamensi scripta sunt: „Revocatum ex Italia Hannibalem superavit. Victis Carthaginiensibus leges imposuit.“

Hoc libello quin usus sit Noster, neque Duckerus (ad Amp. 18, 8 „Haec descripta videntur ex Aur. Vict. c. 33 de vir. ill.“) neque Beckius (ad 19, 10 et 11) dubitaverunt, tantaque est re vera utriusque conspiratio tantusque consensus, ut non solum ipsa verba parum differant, sed etiam Ampelius in iisdem plane peccet, quae in illo libro peccata sunt, ut verbi causa de confusis Scipionibus patre ac filio recte iam monuit Tzschukkius ad Amp. 19, 11. Lectori, qui utriusque verba inter se conferre volet, hos subiicio locos.

Amp. 18, 8. Curius, cum in foco rapas torreret, [legatis Samnitium aurum] offerentibus Malo, inquit, in fictilibus meis [esse] et aurum habentibus imperare.	De vir. ill. 33. (Curius Dentatus) legatis Samnitium aurum offerentibus, cum ipse in foco rapas torreret, Malo, inquit, haec in fictilibus meis esse, et aurum habentibus imperare.

Amp. 19, 3. Tib. Gracchus qui Scipionem Asiaticum, quamvis inimicum haberet, non est passus a tribunis in carcerem duci.	De vir. ill. 57. Tib. Sempr. Gracchus Scipionem Asiaticum quamvis inimicum duci in carcerem non est passus.

Item apud hos duos scriptores leguntur, quae nobilissimi tacent scriptores, (ex. gr. Mucius *Cordus* appellatur ab Amp. 20, 3, auct. de vir. ill. 12, schol. Bob. ad Cicer. et Dionysio Hal. qui ceteris omnibus dicitur Mucius Scaevola) vel quae omnino apud nullum alium scriptorem occurrunt, ex. gr.

Amp. 18. 10. (Claudius Marcellus) docuit in bello quomodo equites sine fuga cederent.	De vir. ill. 45. (M. Claudius Marcellus) primus docuit quomodo milites cederent nec terga praeberent.

Quibus exemplis propositis tota res iam profligata esse videri possit, nisi alia accuratius inquirentem turbarent et plane nova interdum apud Ampelium deprehenderemus, quae in lib. de vir. ill. frustra quaeras. (Cf. Amp. 18, 2 et de vir. ill. 15: Amp. 18, 7 et de vir. ill. 31.) Quanquam eorum non haec est condicio, ut auctori de vir. ill. repugnent, sed ut illum librum potius supplere videantur. Qui tamen Nepotis vitas, quae aetatem tulerunt, ita ab Nostro excerptas esse vidimus, ut ne voculam quidem de suo addiderit, non possumus, quin pleniorem illum auctorem, unde liber de vir. ill. excerptus est, Ampelio ad manus fuisse statuamus eoque, cum Noster clarissimis tantum auctoribus usus esse videatur, et alios posterioris aetatis scriptores usos esse exspectemus. Quam ad rem comprobandam cum multa mihi praesto sint exempla, in paucis acquiescere iubet brevitas opusculi.

Refert auctor de virr. ill. c. 77 de *Pompeio Magno:* „Lepidum acta Sullae rescindere volentem privatus Italia fugavit“, quibus respondent, quae apud Amp. 19, 7 leguntur, „*Lutatius Catulus*, qui Lepidum acta Sullae rescindere volentem admoto exercitu Italia fugavit et solus

omnium sine sanguine bellum civile confecit.“ Vides ab illo Pompeio tribui, quod Ampelius in maximo reliquorum verborum consensu Lutatio Catulo tribuit, neque id de arbitrio suo immutasse Ampelium unicuique certissimum erit, qui quam parum suo iudicio niti soleat semel cognovit. Quare Lutatium Catulum, quamvis eum victoriae gloriam cum Pompeio communicavisse satis constet, non temere ab Ampelio invectum esse quovis pignore contendam. Testis esto Florus eundem auctorem ac Pseudoaurelius Ampeliusque secutus lib. 3 c. 23: „Cupidus novarum rerum per insolentiam Lepidus acta tanti viri rescindere parabat . . . . . et exercitum urbi admovebat; (*admoto exercitu* Amp.; praetermittit auctor de vir. ill.) sed iam Mulvium pontem collemque Ianiculum Lutatius Catulus Gneusque Pompeius Sullanae dominationis duces atque signiferi alio exercitu insederant.“ Cf. etiam Livii per. 90. Quibus locis efficitur, Ampelium neque Pseudoaurelium, neque Florum, sed eum potius auctorem secutum esse, quem et illi secuti sunt.

Sed quoniam forte fortuna in cap. 77 lib. de vir. ill. incidimus, eiusdem locos quosdam cum ceteris historicis conferre pergamus. „Mox piratas intra quadragesimum diem subegit. Tigranem ad deditionem, Mithridatem ad venenum compulit.“ Amp. 18, 19: „Pompeius qui Armenios sub rege Tigrane, Ponticos sub rege Mithridate, Cilicas toto mari dominantis intra quadragesimum diem vicit.“ — „Moxque diviso orbis imperio cum Crassus Syriam, Caesar Galliam, Pompeius urbem obtineret, post caedem Crassi Caesarem dimittere exercitum iussit.“ Quibuscum conf. Amp. 43. Caesar et Pompeius et Crassus inita societate imperium Romanorum possidebant: Caesar Gallicos, Crassus Syriacos exercitus habebat; Pompeius horum viribus fretus in senatu dominabatur. Post Crassi mortem apud Parthos*** et Flor. 4, 2, 12 seqq. — „in *Pharsalia* victus“: sic Amp. 34, 1 et Flor. 4, 2, 64 66 et 89; aliis

Pharsulus. — „Hujus latus sub oculis uxoris et liberorum a Septimio, Ptolemaei praefecto, mucrone confossum est.“ Flor. 4, 2, 52: ut Septimii desertoris sui gladio trucidatus sub oculis uxoris suae liberorumque moreretur. — „Caput . . . . velamine involutum cum annulo Caesari praesentatum est; qui non continens lacrimas, illud plurimis et pretiosissimis odoribus cremandum curavit.“ Val. Max. 5, 1, 10: Ut enim id (caput Pompeii) Caesar aspexit. . . . . Pompeio cum proprias tum et filiae suae lacrimas reddidit. Caput autem plurimis et pretiosissimis odoribus cremandum curavit: (sic recte Kempfius pro *curat:* ac poterat auctoritate loci supra adscripti uti.)

Quo minus igitur Pseudoaurelium illud caput ex diversis diversorum scriptorum locis consarcinasse credibile est, eo magis Valerium, Florum, Ampelium, (addiderim Frontinum) sua ex integro libro de viris illustribus hausisse ad veri similitudinem accedit. Et de Ampelio quidem satis dictum esto; Florum et alibi videmus eundem fontem secutum, sicuti 1, 6 in verbis „regnum dolo partum sic egit industrie ut iure adeptus videretur“ lib. de vir. ill. 6 respexit: (Tarquinius Priscus) regnum intercepit et ita administravit, quasi iure adeptus fuisset: Frontinum statim initio I. 1. 1 cum lib. de vir. ill. 47 contulisse sufficiet: de uno Valerio paucissima addam. Primum enim Valerium in conscribendo opere suo re vera historicorum Romanorum libris usum esse ex ipsius praefatione discimus. „Urbis Romae exterarumque gentium facta simul ac dicta memoratu digna, quae apud alios latius diffusa sunt quam ut breviter cognosci possint, ab illustribus electa auctoribus digerere constitui, ut documenta sumere volentibus longae inquisitionis labor absit.“ Deinde, ne Livium communem illum fontem esse dicas, in ea potissimum dicta ac facta memorabilia attendendum inquirendumque erit, quae in Livii libris adhuc superstitibus non exstent, ex. gr. Val. 4, 3, 4 coll. Auct. de vir. ill. 19. Nam quod Kempfius in praef. ad Val. pg. 22 haec ex Dion. Hal. 6,

94 translata esse dicit, stare nullo pacto potest, cum Valerius Cn. Marcium agri centum iugeribus et centenario bovum grege donatum esse scribat, quae omnia Dionysius silentio praetermittit, idemque eius virtutem *decem* equorum ornatorum electione honoratum esse tradiderit, Dionysii vero verba *ἐδωρήσατο δ' αὐτὸν ἵππῳ πολεμιστῇ* etc. plane repugnent. In hac narratione cum Valerius auctorque de vir. ill. inter se conspirent, ceteri aut in singulis abeant, aut continentiae illud exemplum ne commemorent quidem, ut Livius, subesse debet nobilis aliquis scriptor — nam obscurioribus Valerius uti noluit — utroque antiquior: idem vero vel aequalis Livio fuerit vel iunior natu necesse est, propterea quod multa loca libri de vir. ill. ex Livio, imprimis eius decade prima, expressa esse certum est. Hoc est ipsum, in quo Meieri iudicio assentiamur: conf. ex. gr. Liv. I. 57, 5 et Auct. de vir. ill. 9.

L. Pergunt inde Collatiam, ubi Lucretiam haudquaquam ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes, sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas sedentem inveniunt.	*A.* Regias nurus in convivio et luxu deprehendunt. Exinde Collatiam petunt. Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt.

Item *Murcius* mons (de vir. ill. 5: vulg. corr. *Aventinum*) Livium redolet I. 33, 5 etc. etc.

Scripserunt igitur de viris illustribus apud Latinos teste Hieronymo in prol. ad lib. de vir. ill: Varro, Santra, Nepos, Hyginus et Tranquillus. Iam dimisso Cornelio Nepote, cuius Hannibal in nonnullis ab Auct. de vir. ill. 42 discrepat, unus nobis restat Iulius Hyginus, qui utpote Ovidio familiarissimus (Suet. de gramm. 20) facile Livii libris, prioribus praesertim uti potuit; unus Hyginus, nobilissimus auctor, ex quo et Valerius Kempfio iudice (praef. pg. 21) multa hausit; Hyginus, quem et Ampelius cap. VIIII. § 18 seqq. respexisse videtur.

Ceterum virorum illustrium vitae, quales nunc circum-

feruntur Aurelii Victoris nomine plerumque inscriptae, non tantum ex Hygini libris prolixioribus in brevius coarctatae sunt, sed multae admodum sive illius ignavia, qui Hyginum excerperet librariorumve negligentia, sive iniuria temporum prorsus interciderunt. Itaque factum est, ut capp. 78—86 ab Andrea Schotto primum anno 1579 ex codice Pullmanniano, priora vero, centum amplius annis ante iam in vulgus edita, ope codicis illius multo integriora multisque locis aucta exhiberentur: inde etiam explicandum, quod apud Ampelium iis ipsis capitibus, quae Hygino debentur, nonnulli commemorentur duces in Pseudoaurelii libro praetermissi, ex. gr. cap. 18, §. 9 Fabricius Luscinus, § 17 Sertorius. Quamvis illo ipso damno ex Ampelio resarciendo novam fortasse movisse videor suspicionem eorum, qui ceteris quidem probatis, quae de Hygino illius libri auctore adhuc disserui, illorum ducum mentione turbantur, quos Pseudoaurelius ne attigit quidem. Ac in Sertorio forsitan minus eos haerere putaverim, utpote viro fortissimo, quem ab Hygino omissum esse mirari subit, quam in altero illo Fabricio Luscino, viro pro Sertorii gloria paulum obscuriore. Quaerant vero, quo argumento Fabricii Luscini vitam a Hygino in libris de viris illustribus conscriptam fuisse comprobare possim. Et in hac quidem quaestione arma deponerem, nisi testis adesset A. Gellius I, 14: „Iulius Hyginus in libro de vita rebusque illustrium virorum sexto legatos dicit a Samnitibus ad C. Fabricium venisse“ etc.

His iam conscriptis Christ. Bern. Buntii dissertationem de C. Iulii Hygini vita et scriptis Marburgi anno 1846 editam inspicere mihi licuit, qui pag. 39 de Hygini libro sic iudicat: „Atque similis fuisse videtur hic Hygini liber opusculo de viris illustribus urbis Romae, quod nunc Aurelii Victoris nomen praefert; nisi quod in Hygini libro maior certe quam apud hunc apparebat copia doctrinae.“ Idem pag. 38 haec adnotavit: „Nonnulla, quae in hoc capite Gellii (1, 7) ex Hygino (scil. de vir. ill.) afferuntur,

breviter narrat etiam Aurelius Victor de viris illustr. cp. 49.“ Quae quam exoptata mihi in manus inciderint, non est quod moneam.

Ex Hygini igitur libris de viris illustribus fluxerunt libri memorialis capp. 18. 19. 20. 21. 22; fortasse etiam cap. 28/39. De regibus vero ac ducibus exterarum gentium (Amp. capp. 31—38) nil certi habeo, quod proferam: alia sane ad Nepotem, alia ad Hyginum, alia ad neutrum pertinere videntur.

Et haec fere sunt, quae de clarorum virorum rebus gestis Ampelius brevissime exposuit. Cap. 40 seq. singula bella a Romanis gesta recenset; in quibus illustrandis cum vitarum scriptoribus Nepote, Hygino minus commode uti posset scriptoremque sequi deberet, qui perpetua disputatione historiam Romanam enarraret, Florum inprimis sibi ducem elegit, ita tamen, ut in nonnullis et Hygini meminisse videatur. Conf. Amp. 40, 4 cum Hyg. de vir. ill. 85. Amp, 46, 6 et 18, 6 „Fabius Hannibalem mora fregit“ ipsissima sunt Hygini verba cap. 14, quae imitatus est Florus 2, 6, 28: „ut qui (Hannibal) frangi virtute non poterat, mora comminueretur.“

Cap. VIII. FLORUS, CICERO.

In hoc quoque dissertationis meae capite, quo de Floro ac Cicerone dicendum est, aliorum philologorum auctoritate iudicioque niti licet, Duckeri scilicet, O. Iahnii, Ang. Maii et Niebuhrii.

Duckerus igitur ad Amp. cap. 25 adnotat: „Totum caput descriptum est ex Floro I. 23:“ assentitur Iahnius in praef. ad Florum pg. 48 his verbis usus: „Similiter Ampelius quae c. 25 de seditionibus (secessionibus?) plebis refert, Floro debet.“ Nec minus vero aperte eius

vestigia pressit capp. 26 et 27, nisi quod in his magis serviverit brevitati. Cfr. ex gr.

Flor. 4, 1 Senatum confodere, consules trucidare, distringere incendiis urbem, diripere aerarium . . . . adgressus est. — Nec civili conspiratione contentus legatos Allobrogum in arma sollicitat. — Statim Ciceronis imperio iniecta est barbaris manus; palam praetor in senatu convincitur, — infestis ab Etruria signis patriam petens obvio Antonii exercitu opprimitur.	Amp. 27, 5: Catilina cum in caedem senatus, incendium urbis, direptionem aerarii coniurasset, et in id facinus Allobrogas sollicitasset, ab Cicerone in senatu accusatus, ab Antonio in Apulia (Freinsh. Etruria) debellatus est.

Inde intelligitur, quo iure critici corrupta Ampelii verba ex Floro correxerint, quo Nostrum per haec capita usum esse compertum habebant. Floro igitur suadente Duck. 25, 1 inseruit *sacrum* post *in montem* (cf. Flor. I. 23, 1); Periz. 26, 4 restituit: *cum ille senatum, hic equestrem ordinem adsereret*, coll. Floro III, 17, 4 (vulg. cum ille senatus eq. ord. adsideret). Ex eodem scriptore ego 26, 2 correxi *C. Gracchi* (vulg. *Gracchi*) coll. Floro 3, 15; Amp. 19, 4 et Heinsio ad Vell. Pat. 2, 2; item 27, 4 edidi *complures debitores* (Flor. 1, 26, 8 plerosque debitores) pro *conturbatores*. Cfr. etiam quae de lacuna 27, 3 supra pg. 19 dixi.

Capp. 40 seqq. saepe Flori verba reddit, ut 42, 1 Flor. III. 21, 6; 42, 3 Flor. III. 31, 23 et 24: saepius, quod ad rem quidem, Florum sequitur, in verbis tamen minus prope ad eum accedit, ita ut vix singulae capitum paragraphi certis quibusdam Flori aliorumve scriptorum locis assignari possint. Unde vero congesta sint, quae cap. 45 summatim de terroribus bellicis (male Salmasius *de variis cladibus populi Romani*, cui titulo § 3 repugnat), quaeque denique capp. 33 et 47 narrantur, nec coniectura assequi audeo, nec, si auderem, quidquam proficerem. Ceterum notabile est et memoratu dignum, quod

Amp. et 46, 5 et 28, 4 scribit, primum belli Punici secundi proelium ad *Liternum* (Cod. *literniun* et *listernum:* edtt. *Ticinum*) factum esse; in quo aut corrupto codice usus, aut, nisi alia latent, memoria lapsus esse videtur. Cfr. Liv. per. 39. Val. Max. 2, 10. 2.

Capp. 48—50 (de comitiis, de populi Romani distributionibus, de rebus publicis) ex Ciceronis de re publica libris petita esse videntur. Cfr. Nieb. hist. Rom. ed. II. vol. II. pag. 256 (edit. IV. pag. 479): Aug. Mai ad Cic. de rep. I, 27 pag. 80; et ad II, 22 pag. 184. Haec hactenus de L. Ampelii fontibus.

Cap. IX. DE AETATE L. AMPELII.

In eam quaestionem, quae est de L. Ampelii aetate, ut accuratius inquirerem, non solum id effecit, quod Ampelii editori hac de re dicendum esse sentirem, sed illud praecipue, quod ea recte circumscripta omnem controversiam de Cornelio Nepote et Aemilio Probo obortam profligatam esse ex Nipperdeii praefatione scirem *), quam editioni Cornelii Nepotis maiori praefixit. Constat deinde Tzschukkium et Glaeserum in hac re diiudicanda multum inter se dissentientes, illum L. Ampelium nostrum aequalem habuisse Theodosio, hunc Macrino imperatori. (Cfr. Tzschukkium in editione Ampelii, et museum Rhenan. nov. 1843, pg. 145.) Sed cum inter veteres auctores ne unus quidem Ampeliani opusculi mentionem fecerit, una nobis relicta est via, ut interna ex ipso libro memoriali petamus argumenta, ex quibus, quando vixerit Ampelius,

*) pag. XXXVIII: „Wir hätten in der Zurückweisung des Aemilius Probus weit kürzer sein können, wenn die wahrscheinliche Meinung dass der liber memorialis des Lucius Ampelius, in welchem das Buch de exc. duc. ext. gent. vielfach benutzt ist, vor Diocletian verfasst sei unwidersprechliche Gewissheit hätte.“

si minus comprobari, at certe ad veri similitudinem coniici possit.

Tzschukkius quidem, ea maxime causa ductus, quod apud Amp. 18, 16 vox *perpotiri* occurrat, quam nusquam nisi in Cod. Iustin. 12, 16, 3 legere meminerat, eum inter Ampelios passim laudatos sibi elegit, qui Theodosii aetatem proxime attingat, quemque Ammianus Marcellinus 28, 4 commemorat, eundem habet ac nostrum. Sed cum in universum incerta sint argumenta ex dictione scriptoris alicuius petita, tum in Nostro Tzschukkium ob unam illam voculam ad Theodosii tempora confugisse iure tuo improbes. Qui si reputavisset, libros in scholarum usum aut scriptos aut in iis certe adhibitos, ut Hygini fabulas, Publii Syri mimos facillime corrumpi et turbari potuisse, nostrique libelli eandem esse indolem, eam scilicet, ut a magistro in usum discipuli nobili haud dubie loco orti scriptum esse videatur, id quod ex ipsa orationis forma facile intelligitur, certe minus inique de Ampelio iudicasset. Et quamvis multo emendatior nunc prodierit, multaque collato codice Monacensi nunc correcta sint, in quibus corrupta erat latini sermonis integritas, tamen etiamnum multa superesse haud negandum est, quae aut sagacioribus criticis aut melioris codicis ope sint emendanda. Denique tenendum est Ampelium non in Latio natum videri, sed potius hominem fuisse provincialem (Antiochiae erant Ampelii teste Ammiano 28, 4) postea Romam advectum, in cuius rei testimonium haud scio an ad eius nomen ab ἄμπελος derivandum frequentissimumque vocabulorum graecorum usum provocare liceat *). Admirandum quidem est, multos ludorum magistros ante haec quinque vel sex

---

*) Cfr. 1, 1 κόσμος; 1, 4 κατακεκαυμένη; 2, 4 λέων; 2, 7 ζυγὸν: 2; 4 carcinus; 2, 11 cataclysmus; cap. 8 machaera, chlamys, thoracium, asylum, monolithus, scyphus; 6, 14 Coos pro Cos vel Cous; 8, 11 lapis genere feminino ad analogiam vocis λίθος et alia multa.

lustra Ampelio, malo admodum latinitatis auctore ad erudiendos pueros usos esse: cum vero praeter *perpotiri* illud nil fere insit, quod non alii quoque argenteae aetatis scriptores sibi indulserint, vel quod non negligentiae auctoris sit tribuendum, alia ad definiendam Ampelii aetatem circumspicienda sunt argumenta.

Primum igitur videamus, ante quaenam tempora vixisse putandus sit. Iam ante divisum a Theodosio imperium Romanum claruisse apparet ex cap. 29, 3, ubi haec leguntur: „Donec exortis bellis civilibus inter Caesarem et Pompeium et oppressa per vim libertate, sub unius Caesaris potestatem redacta sunt omnia.“ Deinde eiusdem verba 18, 16: „Sulla Romanum primus invasit imperium, solusque deposuit“ ante Diocletianum imperatorem scripta esse videntur, qui, ut Eutropii verbis 9, 28 utar, ex tanto fastigio sponte ad privatae vitae statum civilitatemque remeavit. Tertio argumento ex commemoratione templi Dianae Ephesiacae (Amp. 8, 12) eruto Glaeserus librum memorialem ante Gallienum conscriptum esse censet, quo imperante (253—268) nobilissimum illud fanum deletum esse scimus. Hanc rationem ut non satis firmam esse evincam, paulo altius repetendum primumque totum caput 8 ex duabus partibus compositum esse monendum est, altera maiore, quae §. 1—17 et 24—25 comprehendit, altera minore, §. 18—23, qua miracula mundi proprie dicta septem numero enumerantur, omisso uno Mausoleo, de quo Ampelius fortasse in lacuna §. 23 post *aedificavit* significata (cfr. supra pag. 19) narraverat. Priora unde desumpta sint, prorsus nescio, nisi quod Isidorum in Origg. 16, 4 aut ipsum Ampelium 8, 16 et 17 reddidisse, aut, quod mihi minus arridet, Ampelii fontem secutum esse compertum habeam: haec, §. 18—23 in universum congruunt cum Hyg. fab. 223 et Vibio Seq. append. Quam parum vero Ampelius, quae in librum suum memorialem congessit, ex ipsa rerum notitia hauserit, quamque negligenter alios descripserit auctores, inde potest intelligi,

quod cum Ephesiacae Dianae templum §. 12 commemorasset, idem iterum §. 18, hic alium scriptorem atque illic secutus, commemorare haud dubitaret. Falli igitur eos putaverim, qui illo argumento confidendum esse existiment, progredientesque ea quam semel ingressi sunt via ad absurda delabi. Nam Ampelius quidem dona votiva in templo Apollinis Sicyone posita uberius recenset; Pausanias vero (2, 7, 8 et 2, 11, 2) id fanum dudum incendio deletum esse scribit. Quid plura? Abstinendum a talibus coniecturis, nisi Ampelium mox inter aureae aetatis scriptores referendum esse concedere vis.

Certissimum vero est atque firmissimum, quod Glaeserus his verbis exposuit: „Aus der Anwendung aber, die er beständig von dem Worte Caesar macht, geht hervor, dass derselbe in einer Zeit geschrieben haben muss, in welcher jenes Wort noch nicht bestimmt den designirten Amtsnachfolger des Augustus oder Imperator bezeichnete. Dieser Gebrauch schwankt zwar, aber ich glaube nicht sehr zu irren, wenn ich dafür etwa den Anfang des dritten Jahrhunderts annehme. Weiterhin ist der Gebrauch so weit festgestellt, dass man nicht wohl annehmen kann, ein Schriftsteller habe den höchsten Machtinhaber mit einem Worte bezeichnet, mit welchem gesetzlich der Inhaber einer weit geringeren Machtfülle bezeichnet wurde.“ Quibus perpensis si quis cum Glaesero nostrum librum imperatori Macrino dicatum esse contenderit, cuius nomen certe in inscriptione libelli legitur, (LVCIVS AMPELIVS MACRINO SVO SAL.) sane propius ad verum accessisse videbitur prae Tzschukkio, Wernsdorfio, (ad Himerium p. 286) aliis: attamen haud scio, an non angustioribus finibus aetas Ampelii circumscribi possit, quam adhuc factum est.

De altero illo termino, *post quem*, ut vulgo dicunt, vix ambigi poterit, Traianum certe quasi ultimum Romanorum ducem commemorat cap. 47: (princ. et §. 7) cap. 23 fin. verba *Caesar Dacicus* ad eundem Traianum referenda sunt: Hadriani tempora spectare videtur, quod de

signo Iovis Olympii Athenis dedicato narrat cap. 8, 25: (Cfr. Paus. I. 18. II. 27. Spartian. Hadr. 13) addiderim Florum, quo Ampelium usum esse supra demonstravimus, post novissimas Ottonis Iahnii curas eiusdem Hadriani aequalem censendum esse. Si vero ab his indiciis disces-seris, nil quoad sciam indagari poterit, quod ad posteriora tempora referri possit, nisi forte quis Cornelii Nepotis vitas Aemilio Probo Theodosii aequali vindicaturus Ampeliumque post Aemilium Probum collocaturus est, qui conatus utrum sit maioris audaciae an inscitiae, vix discerneres. Multo magis me Aurelii Victoris liber de viris illustribus in augustias adduceret, si plerosque philologos, quod ad auctorem opusculi attinet, in vetere illa opinione persistere persuasum mihi esset: sed utut est, illa probata et Glaeseri et nostram de aetate Ampelii sententiam plane concidere vides. Quo magis igitur neque Glaeserum neque Tzschukkium in hanc rem attendisse miramur, quae gravissima est ad iudicium de aetate Ampelii faciendum, eo magis aut Iahnii in edendo Aurelio Victore occupati exspectamus iudicium, aut alios philologos sententiam suam de auctore libri de viris illustribus inscripti in mediam prolaturos optamus.

Nunc iam ad ea properandum, quibus intricatam quaestionem profligari posse spero: quorum alia mihi suppeditavit V. Clar. C. Fr. Hermannus: ad alia a me non satis perpensa animum meum denuo advertit. Proferam argumenta ex silentio petita. Quibus cum plerumque non multum tribui sciam, in nostra tamen quaestione compluribus simul nitimur argumentis, quae et eodem tendant, et, ut est in fabula de radiis in fascem colligatis, ob hoc ipsum magni momenti sint ad illam rem expediendam. Cap. 31 (Reges Parthorum) Ampelius nil de Sassanidarum imperio monet, haud dubie eam ob causam, quod, cum librum memorialem conscriberet, conditum nondum esset; deinde cap. 23 fin. post Caesarem Dacicum, id est Trianum, merito Aurelium Parthicum atque Armeniacum desi-

deres; item cap. 47 fin. Marcomannos ab eodem Aurelio victos: denique verba cap. 50 „Seleucia Parthorum“ eo tempore scripta esse videntur, quo Parthi illam urbem tenuerunt. Et tenuerunt sane Parthi Seleuciam imperatoribus Hadriano et Antonino Pio, beneficio eorum magis recuperatam, quam armis subactam. Constat enim Hadrianum ad contrahendos imperii terminos „omnia trans Euphratem et Tigrim reliquisse, exemplo Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant.“ Spart. Hadr. 5. Sed mortuo Antonino Pio M. Aurelius extitit, qui Mesopotamiam et Armeniam a Traiano in provinciae formam redactas iterum imperio Romano adiungeret captaque Seleucia anno 164 cum L. Vero de Parthis triumpharet. (a. 165) Huc illud quoque facit, quod Amp. 6, 4 Tigrim et Euphratem in *Parthia* esse dicat.

Quare si Traiani pluribus locis mentionem factam esse, rerum vero a M. Aurelio gestarum bellique Parthici redintegrati ne vestigia quidem superesse reputaverimus, hoc unum fere nobis relictum est, ut librum memorialem imperante Antonino Pio scriptum esse iudicemus. Huic certe, triumphi experti, (Aur. Vict. de Caes. 15) qui orbem terrae nullo bello per annos viginti tres sola auctoritate rexisse satis habuit, (Epit. de Caes 15) nullus erat in libro memoriali locus, cum bella tantum auctor noster enumeret, bona pacis parum curet: M. Aurelius vero plus uno loco commemorandus erat. Summam igitur disputationis meae hoc pono, ut, si quid unquam ad veri similitudinem adducere licet, librum memorialem aut sub finem imperii Hadriani, aut, quod mihi praestare videtur, imperatore Antonino Pio, certe ante M. Aurelium Luciumque Verum ad imperii partem adscitum compositum esse contendam. Innuunt hoc et ipsius Ampelii verba 29, 3 „donec sub *unius* Caesaris potestatem redacta sunt omnia.“ Apparet simul templum Ephesiacae Dianae tunc temporis integrum fuisse, cum Aurelio demum imperante constratam esse Ephesum terrae motu (Aur. Vict. de Caes. 16)

ipsumque templum Gallieni temporibus prorsus deletum esse memoriae proditum sit: hoc tantum cavere volui, ne Glaeseri argumento nimium confidamus.

Quis vero fuerit Ampelius noster, vel quis Macrinus ille, ad quem libellum suum misit, quamvis plures Ampelios Marcinosque apud veteres scriptores laudatos esse repererim, quam Tzschukkius reperisse videtur, equidem scio iuxta cum ignarissimis. Id unum monendum restat, *Macrino Sal.* recte inscribi librum memorialem, non *Marino*, ut Sirmondus per errorem haud dubie scripsit (ad Sidon. Apollin. pg. 141): nam testatur praeter Salmasium in exercit. Plin. et subscriptio libri Monacensis:

Explicit Lucii Ampelii liber ad Macrinum.

LVCII AMPELII

LIBER

MEMORIALIS.

RECOGNOVIT

EDVARDVS WOELFFLIN.

LIPSIAE

SVMPTIBVS ET TYPIS B. G. TEVBNERI.

MDCCCLXXIII.

PRAEFATIO.

Lucii Ampelii quotquot nunc circumferuntur editiones, omnes fluxerunt ex Salmasii editione, qui primus librum memorialem edidit Floro adiectum Lugd. Bat. 1638; commentarius vero, quem se mox publici iuris facturum pollicitus erat, numquam prodiit, unde factum est, ut quae lectiones codicis auctoritate niterentur quaeque Salmasio deberentur, usque ad hunc diem ignotum esset. Dukerus primus ad calcem Flori Ampelium nostrum notis instruxit, paucis illis quidem sed doctis, adhibitis simul Perizonii et Heinsii exemplaribus, qui coniecturas suas marginibus adscripserant: accessit nuper Tzschuckii cura, qua haud pauca emendata sunt, ut praeteream Munckerum, Freinshemium, Davisium, quorum coniecturas in commentariis ad Hyginum, ad Florum et ad Cic. de Nat. D. libros prolatas iam Dukerus diligenter collegit.

Ego quidem redii ad Salmasii codicem, Divionensem olim, vel potius — nam codicem ipsum frustra quaesivi — ad apographon eius codicis confectum ab ipso Salmasio, quod asservatur in bibliotheca regia Monacensi. (Cod. lat. 10383.) Eius ope quid nunc praestare conatus sim, fusius exposui in dissertatione propediem edenda, ad quam lectores, si qui rationes meas accuratius cognoscere velint, relegandos puto. Huic praefationi id solum reservandum putavi, ut quam brevissime fieri posset et de codicis illius discrepantia et de emendationibus a me receptis lectores monerem, his notis usus: C = cod. Monacensis: P = Perizonius: H = Heinsius: M′ = Munckerus: F = Freinshemius: D = Dukerus: Dav. = Davisius: T = Tzschuckius: E = editores omnes praeeunte Salmasio: S = Salmasius: W = Woelfflin: ubi nullam harum litterarum adscriptam invenies, discrepantia in praefatione notata codicis, emendatio in ordinem verborum recepta Salmasii est.

Pag. 1, 9 *extra que* || 17 *quae* om. || 20 *obliquus* E || 21 *annum* || 25 *qua aquae* ||

LVCIVS AMPELIVS
MACRINO SVO SALVTEM.

Volenti tibi omnia nosse scripsi hunc librum memorialem, ut noris, quid sit mundus, quid elementa, quid orbis terrarum ferat, vel quid genus humanum peregerit.

I. DE MVNDO.

Mundus est universitas rerum, in quo omnia sunt 1
et extra quem nihil, qui graece dicitur κόσμος. Ele- 2
menta mundi quattuor: ignis, ex quo est caelum; aqua,
ex qua mare Oceanum; aër, ex quo venti et tempe-
states; terra, quam propter formam eius orbem terra-
rum appellamus. Caeli regiones sunt quattuor: oriens, 3
occidens, meridies, septentrio. Caelum dividitur in 4
circulos quinque: arcticum et antarcticum, qui ob ni-
miam vim frigoris inhabitabiles sunt; aequinoctialem,
cui subiacet regio quae κατακεκαυμένη dicitur neque
incolitur ob nimiam vim ardoris; brumalem et solsti-
tialem, sub quibus habitatur: sunt enim temperatis-
simi, per quos oblicus circulus vadit cum duodecim
signis, in quibus sol annuum conficit cursum.

II. DE DVODECIM SIGNIS.

Signa sunt in caelo duodecim. Aries beneficio 1
Liberi, quod, is cum exercitum in Indiam per Libyam duceret per loca sicca et arenosa, cum aquae inopia esset et exercitus eius siti adfligeretur, aries eis aquam demonstravit, et ob id a Libero Iovis Ammon est appellatus, eique fanum magnificum fecit ad eum locum, ubi aquam invenit, quod abest ab Aegypto

et Alexandria milia passuum novem. Ob eam rem a
Iove petiit ut inter sidera reciperetur. Alii putant
2 eum esse, qui Hellen et Phrixum vexerit. Taurus be-
neficio Iovis, quem Iuppiter a Neptuno fratre per gra-
tiam abduxit, qui sensum humanum figura tauri con-
tinebat, isque Iovis iussu Europam Agenoris filiam
Sidoniam adludens decepit et eam Cretam deportavit.
Ob eam rem Iuppiter in sideribus eum dignatus est
3 immortali memoria. Gemini, qui *dii* Samothraces no-
minantur esse, quorum argumentum nefas est pronun-
tiare praeter eos, qui initiis praesunt. Alii Castorem
et Pollucem dicunt, quod ii principes mare tutum a
praedonibus praestitissent. Sunt qui dicant Herculem
4 et Theseum, quod similia athla sint adepti. Cancer,
καρκίνος, receptus beneficio Iunonis, quod eius iussu,
cum Hercules missus esset ad hydram Lernaeam, quam
nos excetram dicimus, interficiendam, carcinus ingres-
sus Herculis pedes et crura lanians incommodiorem
faciebat eum, quam ipsa excetra: idque malum Her-
cules difficillimum habuit, carcinumque ob id factum
5 Iuno sideribus est dignata. Leo, λέων, qui educatus
est Nemeae, Iunonis consilio ad Herculis interitum
missus in terram Argiam diu spelunca latitavit, quem
Hercules dicitur interfecisse cum Molorcho hospite suo,
cuius clavam ei tributam tum principio est adeptus,
qua leonem interfecit, eiusque pellem postea pro te-
gumento habuit. Ob id factum Iunoni odio esse coe-
6 pit, leonemque caelesti dignitate est honorata. Virgo,
quam nos Iustitiam dicimus, fuit cum hominibus. Sed
postquam homines male facere coeperunt, Iovis eam
inter signa posuit. Sunt qui Erigonam Icari filiam
Atheniensem dicunt, cuius patri Liber vinum de-
dit, ut hominibus ad suavitatem daret: quibus dedit,
ebriati sunt et lapidibus eum occiderunt. Canis, qui
cum illo erat, vidit dominum occisum, et cum ululatu
ad Erigonam rediit; quem ut maestum et singularem
vidit, sollicita proficiscitur cum eo. Venere ad locum,
ubi Icarius iacebat. Vidit corpus patris; magna la-

mentatione in Hymetto monte sepelivit, ipsa vero se
suspendit laqueo. Canis ad pedes eius discumbens
diutius et sine alimentis deficiens post aquam anhe-
lans in puteum se proiecit. Tum Liber a Iove petiit,
quod suo imperio defecerint, ut inter siderum cursus
poneretur virgo. Icarius autem Arcturus nominatus
est, cuius stella cum exoritur, continuas tempestates
facit: canis Canicula. Libra, quam Graeci ζυγόν ap- 7
pellant, virile nomen est † adeptus: qui insigni cle-
mentia et iustitia † Mochos dictus; qui primus dicitur
librae pondus hominibus invenisse, quae utilissima
mortalibus existimatur, ideoque in numerum stellarum
receptus est et Libra est dictus. Scorpius, qui dici- 8
tur ad perniciem Orionis in insula Chio in monte
Pelinaeo voluntate Dianae natus. Orion autem, dum
venatur, visa Diana stuprare eam voluit. Illa scor-
pionem subiecit, qui eum vita privaret. Iuppiter et
scorpionem et Orionem inter sidera recepit. Sagitta- 9
rius, Croton, filius *Euphemes* nutricis Musarum, quem
Musae semper dilexerunt eo, quod plausu et lusu sa-
gittarum eas avocaret. Alii Chironem dicunt, quod
iustus et pius, doctus, hospitalis fuerit. Ab eo Aescu-
lapius medicinam, Achilles citharam et *alii* alia multa.
Capricornus, cui nomen Pan. Quo tempore Typhon 10
speluncas incolens in monte Tauro Aegyptum profectus
est ad bellum, Pan se in caprae figuram convertit. Igi-
tur dii immortales, postquam Typhonem digna poena af-
fecerunt, Pana astrorum memoria decoraverunt. Aqua- 11
rius, qui putatur esse Ganymedes, dicitur Deucalion
Thessalus, qui, cum maximo cataclysmo cum uxore
Pyrra solus evasisset, hic pietatis causa inter sidera
locatus est. Pisces, ideo [pisces], quia bello Gigan- 12
tum Venus perturbata in piscem se transfiguravit. Nam
dicitur et in Euphrate fluvio ovum piscis ** in ora
fluminis columba adsedisse dies plurimos et exclusisse
deam benignam et misericordem hominibus ad bonam
vitam. Vtriusque memoriae causa pisces inter sidera
nobilitati.

III. DE SIDERIBVS.

1 Praeter duodecim signa potentissima sidera in
caelo: septentriones duo, maior et minor, qui num-
quam merguntur ideoque navium cursus regunt, quo-
rum alter Cynosura dicitur. Bootes, idem Arcturus.
2 Orion, qui magnitudine sua dimidiam caeli obtinet
partem. Pliades, quae latine Vergiliae dicuntur. Hya-
des, quae a nobis Suculae dicuntur, quarum ortus et
occasus a nautis et ab agricolis observantur. Cani-
3 cula, cuius vis praecipue solstitio est. Stellae poten-
tissimae in caelo sunt septem: Saturnus, Sol, Luna,
Mars, Mercurius, Iuppiter, Venus, quae a Graecis
planetae, a nobis erraticae dicuntur, quia ad arbi-
trium suum vagantur et motu suo hominum fata mo-
derantur: item adverso cursu contra caelum feruntur.

IIII. QVIBVS PARTIBVS SEDEANT DVODECIM SIGNA DVODECIM VENTORVM.

Aries in africum, Taurus in circium, Gemini in aquilonem, Cancer in septentrionem, Leo in thrasciam, Virgo in argesten, Libra in zephyron, Scorpius in africum, Sagittarius in austrum et africum, Capricornus in austrum, Aquarius in eurum et notum, Pisces in eurum.

V. DE VENTIS.

1 Venti fiunt ex aëris motu et inclinatione; sunt
autem generales quattuor: eurus, idem apeliotes, idem
volturnus ab oriente: ab occidente zephyrus, idem co-
rus, idem favonius: aquilo, boreas, aparctias idem a
septentrione: notus, idem libs et auster et africus a
2 meridie. Hi sunt quattuor generales; ceteri specia-
les adscribuntur, ut iapyx zephyro, qui ab Iapygio
Apuliae promontorio flat; leuconotus noto, cum se-
renior flat; circius aquiloni, cum vehementior Gal-
lias perflat; item etesiae, qui statis diebus flant per
aestatem.

VI. DE ORBE TERRARVM.

Orbis terrarum, qui sub caelo est, quattuor re- 1
gionibus incolitur. Vna pars eius est, in qua nos
habitamus; altera huic contraria, quam qui incolunt
vocantur antichthones: quarum inferiores duae ex con-
trario harum sitae, quas qui incolunt vocantur anti-
podes. Orbis terrarum, quem nos colimus, in tres 2
partes dividitur totidemque nomina: Asia, quae est
inter Tanain et Nilum: Libya, quae est inter Nilum
et Gaditanum sinum: Europa, quae est inter fretum
et Tanain.

In Asia clarissimae gentes: Indi, Seres, Persae, 3
Medi, Parthi, Arabes, Bithyni, Phryges, Cappado-
ces, Cilices, Syri, Lycii. In Europa clarissimae gen- 4
tes: Scythae, Sarmatae, Germani, Daci, Moesi, Thra-
ces, Macedones, Dalmatae, Pannonii, Illyrici, Graeci,
Itali, Galli, Spani. In Libya gentes clarissimae: 5
Aethiopes, Mauri, Numidae, Poeni, Gaetuli, Gara-
mantes, Nasamones, Aegyptii.

Clarissimi montes in orbe terrarum: Caucasus in 6
Scythia, Emodus in India, Libanus in Syria, Olym-
pus in Macedonia, Hymettus in Attica, Taygetus in
Lacedaemonia, Cithaeron et Helicon in Boeotia, Par-
nasos ** et Acroceraunia in Epiro, Maenalus in Ar-
cadia, Apenninus in Italia, Eryx in Sicilia, Alpes 7
inter Galliam et Italiam, Pyrenaeus inter Galliam et
Spaniam, Atlas in Africa, Calpe in freto Oceani.

Clarissima flumina in orbe terrarum: Indus, Gan- 8
ges, Hydaspes in India; Araxes in Armenia; Ther-
modon et Phasis in Colchide; Tanais in Scythia; 9
Strymon et Hebrus in Thracia; Sperchios in Thessa-
lia; Hermus et Pactolus auriferi, Maeander et Caystrus
in Lydia; Cydnus in Cilicia; Orontes in Syria; Si-
mois et Xanthus in Phrygia; Eurotas Lacedaemone; 10
Alpheus in Elide; Ladon in Arcadia; Achelous et
Inachus in Epiro; Savus et Danubius, qui idem Ister
cognominatur, in Moesia; Eridanus et Tiberinus in

Italia; Timavus in Illyrico; Rhodanus in Gallia; Ibe-
11 rus et Baetis in Spania; Bagrada in Numidia; Tri-
ton in Gaetulia; Nilus in Aegypto; Tigris et Euphra-
tes in Parthia; Rhenus in Germania.
12 Clarissimae insulae in mari nostro undecim: Si-
cilia, Sardinia, Crete, Cypros, Euboea, Lesbos, Rhodos,
duae Baleares, Ebusus, Corsica, Gades. In Oceano
ad orientem Taprobane, ad occidentem Brittannia, ad
septentrionem Thyle, ad meridiem insulae fortunatae.
13 Praeter has in Aegaeo mari Cyclades duodecim: De-
los, Gyaros, Myconos, Andros, Paros, Olearos, Te-
14 nos, Cythnos, Melos, Naxos, Donusa. Praeter has
Sporades innumerabiles; ceterum celeberrimae Aegina,
15 Salamina, Coos, Chios, Lemnos, Samothracia. In
Ionio Echinades, Strophades, Ithace, Cephalenia,
Zacynthos. In Hadriatico Crateae circiter mille, in
Siculo Aeoliae octo, in Gallico Stoechades tres, in
Syrtibus Cercina et Meninx et Girba.

VII. DE MARIVM AMBITV.

1 Mare quo cingimur universum vocatur Oceanum.
Hoc quattuor regionibus inrumpit in terras: a septen-
trione vocatur Caspium, ab oriente Persicum, a me-
ridie Arabicum, idem rubrum et erythraeum, ad
occasum magnum mare, idem Atlanticum, quod com-
2 merciis totius generis humani peragitur. Hoc intrat
in fretum Gaditanum inter duos montes clarissimos
Abylam et Calpen ob impositas Herculis columnas;
dein latissime simul et longissime fusum medium ter-
3 rarum orbem inundat et nomina adquirit: Balearicum,
quod Hispaniam adluit; Gallicum, quod Gallias tan-
git; Ligusticum, quod Liguribus infunditur; Tuscum,
Tyrrhenum, idem inferum, quod dextrum Italiae la-
tus circuit, Hadriaticum, idem superum, quod sini-
4 strum Italiae latus circuit; Siculum, in quo Sicilia;
Creticum, in quo insula est Creta; Ionium et Aegaeum,
quae Achaiam [id est Peloponnesum] ita ambiunt, ut
interveniente Isthmo paene insulam faciant; Myrtoum

et Icarium, quae adhaerent Aegaeo mari, illud a Myr-
tilo, hoc ab Icaro cognominata; Euxinum, Ponticum, 5
quod ingenti sinu Scythis infunditur; Hellesponticum
fauce transmissum inter duas celeberrimas urbes, Se-
ston Europae, Abydon Asiae; Tanaiticum, quo Asia
alluitur; Aegyptium ab Aegypto, Libycum a Libya
cognominatur; Syrticum a duabus Syrtibus reciprocis
aestibus retorquetur.

VIII. MIRACVLA MVNDI.

Miracula quae in terris sunt. Ab Apollonia † et 1
cathamantie milia passus quinque in monte Nymphaeo:
ibi ignis est et de terra exit flamma. In silva Panis
symphonia in oppidum auditur. Item sub eo monte in
campo lacus aquae pleni; inde pix exit et bitumen:
cum manibus subplodas, pix alte attollitur et quasi
ab aqua bullescit. Ambraciae in Epiro in pariete sunt 2
picti Castor et Pollux et Helena manu autochthonis,
et nemo neque invenire potest quis pinxerit. Argis 3
in Epiro quod Hippoboton appellatur: ibi pons magnus
columnatus duplex, quem Medea aedificari imperasse
fertur. Ibi picta sunt gubernacula Argonautarum,
† quae coepta navis: ibi Iovis templum Trophonii,
unde est ad inferos descensus ad tollendas sortes: in
quo loco dicuntur ii qui descenderunt Iovem ipsum
videre. Leucade mons, unde se Sappho deiecit pro- 4
pter virum: in summo monte fanum est Apollinis, ubi
sacra fiunt; et cum homo inde desiluit, statim excipi-
tur lintribus. Sicyone in Achaia in foro aedis Apolli- 5
nis est: in ea sunt posita Agamemnonis clipeus et ma-
chaera, Ulixis chlamys et thoracium, Teucri sagittae
et arcus; Adrasti arca, quam deposuit, in qua quid
sit ignoratur; sed et olla aerea in qua Pelias coctus
dicitur: item Palamedis litterae: Marsyae autem † quae-
quae corium; remi Argonautarum cum gubernaculis.
† Brachia calculus, quem Minerva sortita est de Oreste
* * *: una proci parasiti palla pendet, quam si quis
halitu afflaverit, tota patefit: Penelopae tela. Ibi de

6 terra oleum scaturit. Argis in Achaia Iunonis tem-
7 plum magnifice ornatum, quod asylum vocant. Olym-
8 piae templum Iovis nobile, ubi athletae initiantur. Co-
rinthi balaenae costa est magna secundum mare, quam
homo complecti non potest. Eodem in loco fanum est
9 Veneris, in quo vas marmoreum Laidos. Boeotiae
lacus sacer, ubi Amphiaraus devoratus [in eo lacu]
est. Urceus fictilis fractus pendet testa inter se
composita; unde autem pendeat non apparet, nisi a
10 vento moveatur. Athenis Minervae aedes nobilis, cu-
ius ad sinistram clipeus appositus quem digito tangit:
in quo clipeo medio Daedali est imago ita collocata,
quam si quis imaginem e clipeo velit tollere, perit to-
tum opus; solvitur enim signum: ipsa autem dea ha-
11 bet hastam de gramine. Ilio lapis quadrata ubi Cas-
sandra fuit alligata; quam si ante tangas aut fricue-
ris, lac demittit; ex altera autem parte similiter si
frices, † ac si sanguinem remittit. Iuxta autem mare
qui locus Rhoeteon vocatur; ibi est Achillis et Pa-
12 trocli tumulus et flumen Scamandros. Ephesi Dianae
fanum nobilissimum, maximum pulcherrimumque orbis
terrarum. Introitu dextra ac sinistra postes marmo-
rei monolithi longi cubitis viginti, qua super templum
13 ascensu sunt † centum quadraginta milia. Samo in
templo Iunonis est scyphus factus ex hedera, cuius
capita foras quattuor arietina magna cornibus mirae
14 magnitudinis contortis. Pergamo ara marmorea magna,
alta pedes quadraginta cum maximis sculpturis; con-
15 tinet autem gigantomachiam. Rosi signum Dianae
marmoreum pulcherrimum quod stat sub divo [caelo],
16 nec cum pluit aqua tangitur. Argyro est fanum Ve-
neris super mare: ibi est lucerna super candelabrum
posita lucens ad mare sub divo [caelo], quam neque
ventus exstinguit nec pluvia aspargit: sed et Hercu-
lis aedes antiqua; ibi e columna pendet cavea ferrea
rotunda, in qua conclusa Sibylla dicitur. Ibi iacent
17 ossa balaenae quasi lapides quadrati. Magnesiae apud
Sipylum columnae sunt quattuor: inter has columnas

est Victoria ferrea pendens sine aliquo vinculo in aëre
ludens; sed quotiens ventus aut pluvia fuerit non mo-
vet. Aedis Dianae Epheso est quam constituit Ama- 18
zon; ibi et sepulcrum Icari stertentis quasi dormiat
mirae magnitudinis ex orichalco et ferro. Rhodi co- 19
lossicum signum Solis altum * * super columna mar-
morea cum quadriga; columna vero habet cubitos cen-
tum. Cypro signum Iovis Olympii aereum, facies ex 20
auro, quem fecit Phidias † in cubitis centum quin-
quaginta et latum cubitis sexaginta. Domus illic Cyri 21
regis aedificata lapidibus candidis et nigellis auro
iunctis, ubi sunt columnae diversis coloribus et in-
numerabiles lamnae ferreae, fenestrae ex argento et
tegulae ex lapide prasino. Murus intus medio Baby- 22
loniae, quem Memnon aedificavit lapide cocto et sul-
fure, ferro intermixtus, ubi sunt iuncturae. Latitudo
eius cubitis triginta, altus cubitis centum et triginta:
cingitur milia passuum triginta. Hunc coepit Semi-
ramis, filius eius perfecit. Pyramides in Aegypto, 23
quas aedificavit * *. Agartus oppidum: ibi est Nilus 24
fluvius aere factus, † plexilis in cubitis trecentis, cuius
facies smaragdo limpido, brachia ex ebore magno,
cuius adspectu et bestiae terrentur. Athenis signum 25
Iovis Olympii, Alexandriae flumen Nilum maxime
colunt.

VIIII. QVOT FVERE IOVES VEL ALII [IN LOCO] DII DEAEQVE.

Ioves fuere tres. Primus in Arcadia, Aetheris 1
filius, cui etiam Aetherius cognomen fuit: hic pri-
mum Solem procreavit. Secundus † abide in Arca-
dia, qui Saturnius cognominatur, qui ex Proserpina
Liberum patrem procreavit primum victoriam * *. Ter-
tius Cretae, Saturni et Opis filius, optimus maximus-
que est appellatus. Martes fuere duo: primus ex 2
† Enoposte, ut eum Homerus ait, et noster Mars
† Leucarpis et alter Mars † enius; secundus ex Iove et
Iunone. Soles fuere quinque: primus Iovis filius; 3

secundus Hyperionis; tertius Nili filius, cui Aegyptus
est consecrata; quartus, qui Rhodi natus est, cuius
etiam † Zemintus est filius; quintus, Colchi filius, ex
4 quo Circe et Medea et Phaëthon nati sunt. Volcani
fuere quattuor: primus † Crio et Ioppe natus; secun-
dus Nili filius; tertius Saturni et Iunonis; quartus in
5 Sicilia Melites filius. Mercurii quattuor: primus Caeli
et Diei filius; secundus Iovis et Croniae filius vel
Proserpinae; tertius Croni filius et Maiae, qui est
inventor lyrae; quartus Cyllenii filius, qui Aegyptiis
6 litteras et numerum dixit. Apollines quinque: pri-
mus Volcani et Minervae; secundus ex Corybante;
tertius Iovis filius ex Latona; quartus Sileni filius in
Arcadia; quintus Ammonis filius in Libya natus.
7 Dianae tres: prima Iovis Cronii filia ex Proserpina,
quae est Liberi soror; secunda Iovis et Latonae, Apol-
linis soror; tertia, quae vocatur Ops, de Glauce.
8 Aesculapii tres: primus Apollo † dictus Volcani filius;
secundus Elati filius; tertius † Aristeti et Alcippes
9 filius. Veneres quattuor: prima Caeli et Diei filia;
secunda quae ex spuma nata esse dicitur Aetheris et
Oceani filia; tertia quae Volcano nupsit, quae cum
Marte se miscuit, unde Cupido natus esse dicitur;
10 quarta Cypri et Syriae filia, quam Adon habuit. Mi-
nervae quinque: prima Volcani filia, unde Athena-
rum est civitas; secunda Nili filia, quam Aegyptii co-
lunt; tertia Iovis filia, quae in bellicis rebus se exer-
cuit; quarta Solis filia, *quae* quadrigas iunxit; quinta
Pallantis et Titanidos filia. Haec patrem occidit pro
suae virginitatis observatione, quia eius cupidus fuit:
11 unde et Pallas dicta est. Liberi quinque: primus ex
Iove et Proserpina: hic agricola et inventor vini,
cuius soror Ceres. Secundus Liber ex Melone et
Flora, cuius nomine fluvius est † Granicus; tertius
de Cabiro, qui regnavit in Asia; quartus ex Saturnio
et Semela, ** dicunt; quintus Nisi et Thyonae filius.
12 Hercules sex: primus Iovis Aetheris *filii* filius; se-
cundus Nili filius, quem principem colunt Aegyptii;

tertium conditorem † loci sui Hellenes dicunt; quartus Cronii filius et Cartheres, quem Carthaginienses colunt, unde Carthago dicta est; quintus Libani filius, qui cum rege Medorum pugnavit; sextus Iovis ex Alcumena, qui † Atlanta docuit.

X. DE IMPERIIS.

Imperia ab ineunte aevi memoria fuerunt septem. Primi rerum potiti sunt Assyrii, deinde Medi, postea Persae, tum Lacedaemonii, dein Athenienses; post hos inde Macedones: sic deinde Romani.

XI. REGES ASSYRIORVM.

Belus rex, Iovis filius, cuius posteri per Ninum 1
Asiae regnaverunt, per Aegyptum Libyae, per Danaum Europae. Ninus rex, qui primus exercitu prope 2
totam Asiam sub se redegit et clarissimam urbem nominis sui condidit Ninon. Semiramis, Dercetis 3
nymphae filia, a columbis educta, uxor Nini regis, cuius post mortem regnum Nini ampliavit armis; Indiam quoque parum prospera expeditione temptavit. Haec urbem pulcherrimam omnium, quae umquam fuerunt, Babylona constituit supra flumen Euphraten. Sardanapallus, qui ob nimias delicias et luxuriam 4
perdito regno, ne in potestatem hostium veniret, cum exoletis suis venenum bibit et igni subiecto cum regia sua conflagravit.

XII. REGES MEDORVM.

Arbaces, primus rex, qui eversas Assyriorum opes luxuria Sardanapalli transtulit * * * eosque iustissime rexit. Astyages, vir fortis et iustus, qui per insidias victus a Cyro est, et dissolutum est Mediae regnum.

XIII. REGES PERSARVM.

Cyrus, rex fortissimus, qui maiore parte Asiae 1
subacta Europam quoque inrupisset, ni a Tomyri Scy-

2 tharum regina victus oppressusque esset. Cambyses,
filius † equae Cyri; qui, cum septuaginta milia hominum subegisset in Aegypto et regem eius Amasin,
Aethiopiam profectus, magna parte militum per famem omissa, inritus rediit; urbem tamen ibi condidit Meroën. Is quia Apin sacrum bovem interfici
iusserat, ira deorum ex equo praeceps super gladium
3 suum ruit extinctusque est. Darius rex, unus ex
septem Persis, hinnitu equi regnum adsecutus, cum
CCLXX milibus Europam transivit. Victus ab Atheniensibus duce Miltiade apud Marathona recessit.
4 Xerxes, Darii filius, cum decessisset pater eius, aliquantis navibus armatis militibus in Europam transivit contabulato Hellesponto et forato Atho monte, nec
quicquam aliud egit quam ut Athenas incenderet. Mari
victus a Lacedaemoniis et Atheniensibus in Asiam
rediit ibique suorum fraude interfectus est.

XIIII. DVCES ET REGES LACEDAEMONIORVM.

1 Eurysthenes et Procles gemini, qui genus ab
2 Heraclidis deducentes primi Spartae regnaverunt. Lycurgus legum lator, quibus Lacedaemonii principes
3 Graeciae per annos septingentos innisi fuerunt. Theopompus et Polydorus reges, qui Messenium bellum
4 viginti annis gesserunt. Othryades vir bellator, qui
Messenio bello, quo centeni et quinquageni concerta-
5 verunt, tropaeum suo sanguine scripsit. Tyrtaeus, qui
Messenio bello ex oraculo Apollinis dux ab Atheniensibus per ludibrium missus poemate suo ita militum
animos concitavit, ut tam diuturnum proelium victoria
6 consummarent. Leonidas, dux Persico bello, qui cum
trecentis Lacedaemoniis apud Thermopylas totam vim
7 Persici belli morte sua ac suorum sustinuit. Pausanias, qui Persico bello Mardonium praefectum Xerxis
cum pedestribus copiis aput Asopum Boeotiae flumen
debellavit; mox proditionis a rege suspectus ideoque
accusatus, in asylum Minervae confugit et ibi fame

confectus est. Lysander dux, qui dominantem toto 8
mari classem Atticam aput Aegos potamos oppressit
et victis Atheniensibus triginta tyrannos inposuit.
Xanthippus, vir Lacedaemoniorum fortissimus, qui 9
bello Punico primo Carthagiensibus dux missus Re-
gulum cepit. Agesilaus, cuius inventum est in hostili 10
quam in sua terra pugnare ideoque in Asiam missus,
vastata ea, cum iam regi immineret, revocatus Athe-
nienses aput Coroneam vicit. Postea aput Corinthios
flevit, quod decem milia Graecorum occisa cognovis-
set, nec voluit Corinthum delere cum posset.

XV. CLARISSIMI REGES ET DVCES ATHENIENSIVM.

Cecrops rex, qui urbem condidit Athenas et ex 1
suo nomine Cecropidas appellavit cives: idem fabulose,
quia indigena fuit, ab inguinibus serpens fuisse nar-
ratur. Erichthonius rex, qui mysteria Eleusine con- 2
stituit Celeo † hospite, Eumolpo sacerdote, filiabus
virginibus ministris, Triptolemo frugum praefecto, qui
fame laborantem Graeciam circumlato frumento re-
stituit. Pandion rex, qui filias suas Procnen et Phi- 3
lomelam Thraciae regibus tradidit, ut barbaras sibi
gentes adfinitate sociaret. Theseus, Aegei filius, qui 4
Minotaurum interfecit. Demophontes, eius filius, qui 5
cum Graecis Ilium expugnavit. Codrus rex, qui pro 6
salute et victoria patriae secundum oraculum Apolli-
nis bello Peloponnesio se devovit. Pisistratus, vir 7
fortis et sapiens, qui adversus principes populari causa
tyrannidem invasit eamque iustissime administravit.
Harmodius et Aristogiton, homines plebei, qui Hip- 8
piam et Hipparchum Pisistrati filios saeve dominantes
facta coniuratione oppresserunt, ideoque ut conserva-
toribus divini honores eis sunt constituti. Miltiades 9
dux, qui octoginta milia militum Persarum Darii regis,
praefectis Date et Tisapherne, in saltu Marathonio
superavit. Aristides Dicaeos, qui hoc agnomen mori- 10
bus [est] consecutus ob id ipsum exilio multatus est.

11 Cimon dux, qui Persico bello Xerxis copias, pede-
stris simul atque navalis, in ipsa Asia apud Eury-
12 medonta fluvium uno die vicit. Alcibiades dux, vir
genere, copia, opibus illustris, qui propter detrunca-
tos nocte Mercurios reus factus ad Lacedaemonios
confugit Peloponnensi bello, et, cum fecisset eos su-
periores, adflictorum civium misertus rediit in pa-
triam, et dux creatus iterum victores Athenienses
13 fecit. Thrasybulus, qui triginta magistratus Lace-
daemonios tyrannidis dominatione saevientis facta con-
iuratione adflixit et libertatem Atheniensibus reddi-
14 dit. Conon dux, qui omnes Lacedaemoniorum copias
apud Cnidum insulam cepit et imperium maris Athe-
15 nis restituit. Dion, qui octo onerariis navibus Dio-
nysium regem Siciliae centum rostratas habentem,
dum in Italiam abest, regno expulit occupatis Syra-
16 cusis. Iphicrates, rei militaris peritissimus, qui arma
17 habiliore pondere et modo fecit. Phocion, qui vir
bonus cognominatus est, neque ulla pecunia a Phi-
lippo potuit sollicitari ut ad eum discederet: qui ad-
monentibus amicis, ut liberis suis consuleret, 'si boni,'
inquit, 'erunt, hic agellus eis sufficiet; si mali, nihil.'
18 Chabrias dux, qui gladiatoria arte pugnare militem
docuit, Cypron et Naxon et omnes Asiaticas insulas
Athenis adiunxit, et circa Chion navali bello occidi
19 maluit quam abiectis armis enatare. Demetrius Pha-
lereus, qui vir bonus existimatus ideoque ob insignem
iustitiam statuis trecentis est honoratus, quas ei pro
libertate posuerunt in † facie publica.

XVI. REGES MACEDONVM.

1 Philippus, Amyntae filius, primus Macedonum ob-
tinuit Thraciam redegitque in suam potestatem; et
cum transire in Asiam vellet, sub ipso belli apparatu
2 in theatro a Pausania est interfectus. Alexander,
Philippi et Olympiadis filius, ex urbe Pella Macedo-
niae cum quadraginta milibus militum in Asiam trans-
isset, Darium regem Persarum primum aput Grani-

cum fluvium, tum aput Issum Ciliciae, tertio apud
Arbela, tribus proeliis trecenta peditum, † legionum
equitum, duo milia falcatorum curruum vicit. Mox
regem Indorum et omnes Asiae gentes sub potesta-
tem suam redegit et nobilissimas urbes Asiae cepit,
Sardes, Bactra, Susa, Babyloniam, ubi etiam defun-
ctus *est*, dubium a vinolentia an veneno, cum tamen
prius et Africam peragrasset usque ad Iovem Am-
monem et Oceanum primus omnium navigasset. Phi- 3
lippus, qui post Alexandrum Macedonem septimo gradu
Macedoniae regnavit, invectus in Graeciam cum saeve
dominaretur, a Sulpicio consule in Phocide victus
est, mox a Flaminino in [Macedonia] Thessalia aput
Cynoscephalas, ubi dato obside filio Demetrio regni
parte multatus est. Perses Philippi filius, cum ma- 4
ximis copiis Macedoniis * * et cum in Graeciam im-
petum fecisset, cum inanibus elephantorum simulacris
a Marcio consule apud Ascuridem paludem victus,
praecipitatis in mare thesauris profugit; mox ab Ae-
milio Paulo tota Macedonia fugatus Samothraciam
confugit in asylum, unde data fide cum se Paulo com-
misisset, ante currum eius in triumphum productus
mox libera custodia in Albano consenuit. Pseudo- 5
philippus, vir plebeius et degener, cum ex simili-
tudine formae Philippi filium se esse persuasisset et
Macedonas in bellum excitasset, inter initia tumultus
comprehensus sub custodia missus est Romam, ubi
cum ex custodia aufugisset, concitata rursus Mace-
donia Thraciam bello recepit. In arce regni paluda-
tus ius dixit; mox a Caecilio Metello ingenti proelio
victus, cum profugisset in Thraciam, a regibus dedi-
tus *est* et in triumphum deportatus.

XVII. REGES ET DVCES ROMANORVM.

Romulus, qui urbem condidit. Numa Pompilius, qui sacra constituit. Tullus Hostilius, qui Albam diruit. Ancus Martius, qui leges plurimas tulit et Ostiam coloniam constituit. Servius Tullius, qui pri-

mum censum egit. Priscus Tarquinius, qui insignibus magistratus adornavit. Tarquinius Superbus, qui ob nimiam superbiam regno pulsus est.

XVIII. CLARISSIMI DVCES ROMANORVM.

1 Brutus, qui pro libertate publica liberos suos in-
2 terfecit. Valerius Publicola, qui propter eandem li-
bertatem adversus Tarquinios bellum exercuit: idem
3 ius libertatis dando populum ampliavit. Manlius Tor-
quatus, qui ad confirmandam castrorum disciplinam
4 filium suum interfecit. Quinctius Cincinnatus [item
5 Serranus], cui aranti dictatura delata est. Camillus,
qui Senonum gente deleta [Gallorum] incensam ab
6 eis urbem restituit. Fabii duo, quorum alter una
pugna Etruscos, Samnitas, Umbros Gallosque sub-
egit, libertinos e tribubus repurgavit ideoque Maxi-
mus cognominatus: alter Fabius Annibalem mora fre-
7 git, ex quo Cunctator est cognominatus. Papirius
Cursor: hic Samnites, qui Romanos sub iugum pu-
gnando miserant, victos ignominia pari adfecit et a
8 velocitate Cursor est appellatus. Curius, cum in foco ra-
pas torreret, *legatis Samnitium aurum* offerentibus 'malo,'
inquit, 'in fictilibus meis *esse* et aurum habentibus
9 imperare.' Fabricius Luscinius, qui Cornelium Ru-
finum consularem virum senatu amovit, luxuriae et
avaritiae damnatum, quod decem pondo argenti pos-
10 sideret. Claudius Marcellus, qui Annibalem primus
in Campania proelio vicit idemque docuit in bello
11 quomodo equites sine fuga cederent. Scipiones duo,
quorum alter prior Africanus, qui Annibalem et in
eo Africam debellavit; alter Scipio *minor*, Numanti-
nus, qui Carthaginem et Numantiam diruendo in hac
12 Africam, in illa Hispaniam fregit. Claudius Nero,
qui Annibale in Apulia relicto venientem ab Hispania
Asdrubalem excepit copiasque eius uno die aput Me-
taurum flumen devicit: qui, si se cum Annibale iun-

xisset, dubitari non potest parem eis populum Roma-
num futurum non fuisse. Paulus, qui cum Macedo- 13
niam vicisset et Graeciam liberasset et opulentissimum
triumphum reportasset, inter ipsos triumphi dies amis-
sis duobus liberis pro contione dixit gratias se agere
fortunae, quod in suam potius domum quam in rem
publicam saevisset. Duo Metelli, quorum alter Ma- 14
cedonicus devictis Macedonibus, qui Contrebiam, inex-
pugnabilem Hispaniae civitatem, iussis testamenta scri-
bere et vetitis redire nisi vicissent militibus occu-
pavit: alter Numidicus victa Numidia, qui cum per-
niciosas rei publicae leges ferret Apuleius tribunus
plebis totusque senatus in eas iurasset, maluit in
exilium ire quam iurare. Huius filius Pius cognomi-
natus est, quod patrem in exilium secutus est. Gaius 15
Marius, qui in Africa Numidis, in Gallia Cimbris
Teutonibusque superatis a caliga pervenit usque se-
ptimum consulatum. Sulla, qui bello civili victoria 16
perpotitus Romanum primus invasit imperium solus-
que deposuit. Sertorius, qui proscriptus a Sulla cum 17
in exilium profugisset, quam brevissimo tempore prope
totam Hispaniam redegit in suam potestatem et ubi-
que adversante fortuna insuperabilis fuit. Lucullus, 18
qui Asiacae provinciae spoliis maximas opes est con-
secutus et aedificiorum tabularumque pictarum studio-
sissimus fuit. Pompeius, qui Armenios sub rege Ti- 19
grane, Ponticos sub rege Mithridate, Cilicas toto
mari dominantis intra quadragesimum diem vicit et
magnam partem Asiae inter Oceanum, Caspium ru-
brumque victoriis suis triumphisque peragravit. Gaius 20
Caesar, qui Gallias Germaniasque subegit et primus
Romanorum navigavit Oceanum, in quo Brittanniam
invenit et vicit. Iulius Caesar Augustus, qui per- 21
pacatis omnibus provinciis exercitus toto orbe terra-
rum disposuit et Romanum imperium ordinavit, post
cuius consecrationem perpetua Caesarum dictatura
dominatur.

XVIIII. ROMANI, QVI IN TOGA FVERVNT ILLVSTRES.

1 Menenius Agrippa, qui dissidentem populum se-
2 natui conligavit atque conciliavit. Appius Caecus,
qui pacem Pyrrhi diremit, ne populus, qui suis parere
3 voluerat, sub externis regibus regeretur. Tiberius
Gracchus, qui Scipionem Asiaticum quamvis inimi-
cum haberet, non est passus a tribunis in carcerem
duci, quod diceret nefas ibi esse Scipionem, ubi ca-
ptivi illius adhuc alligati tenerentur. Hic est Grac-
chorum pater, qui in tribunatu, cum agrariis legibus
4 seditiones excitarent, interfecti sunt. Decimus Bru-
tus Callaicus, qui C. Gracchum generum agrariis
legibus rei publicae statum turbantem cum Opimio
5 consule oppressit. M. Brutus, qui Pompei partes se-
cutus, mox a Caesare restitutus in mortem eius con-
6 iuravit, quod affectare nomen regium videretur. Li-
vius Drusus, qui agrariis legibus promulgatis sum-
mum populi Romani favorem consecutus, ne promissa
perficeret, per insidias a Philippo consule domi suae
7 interfectus est. Lutatius Catulus, qui Lepidum acta
Sullae rescindere volentem admoto exercitu Italia fu-
gavit et solus omnium sine sanguine bellum civile
8 confecit. Cato Censorius, qui totiens accusatus est,
et quoad vixit nocentis accusare non destitit. Hic est
omnium rerum peritissimus et, ut Sallustio Crispo vi-
9 detur, Romani generis disertissimus. Cato praetorius,
qui bello civili partes Pompei secutus mori maluit
10 quam superstes esse rei publicae servienti. Scaurus,
qui vetuit filium in conspectum suum venire, quia
11 bello Cimbrico deseruerat. Scipio Nasica, qui, quia
non rite inauguratus consul videretur, consulatu se ab-
dicavit et domitis Dalmatis oblatum a senatu trium-
phum repudiavit statuasque, quas sibi quisque in
publico posuerat, in censura sua sustulit. Censuit in
senatu tamen Carthaginem non esse delendam: pro-
12 pterea optimus iudicatus. Cornelius Cethegus, qui

fratrem suum Cethegum, quod cum Catilina coniu-
rasset, morte multandum censuit. Tullius Cicero, qui 13
in consulatu suo Catilinae coniurationem fortissime
oppressit.

XX. QVI PRO POPVLI RÓMANI SALVTE SE OPTVLERVNT.

Horatii trigemini, qui adversus Curiatios Alba- 1
norum de summo imperio dimicaverunt. Fabii, qui 2
trecenti, cum omnes patriciae stirpis essent, bellum
Veiens peculiariter sibi depoposcerunt. Mucius Cor- 3
dus, qui ignibus manum imposuit. Horatius Cocles, 4
qui ponte rescisso Tiberis armatus transiit natans. Tre- 5
centi sub Calpurnio Flamma contra Poenos, qui in
Siciliensi saltu morte sua exercitum populi Romani li-
beraverunt, ut plane trecentorum Lacedaemoniorum
apud Thermopylas gloriam adaequarent. Duo Decii, 6
quorum alter Latino bello, alter Samnitico dis mani-
bus se devoverunt. Fabius pontifex, qui urbe a Gal- 7
lis Senonibus incensa se aliosque senes dis manibus
devovit. Regulus, qui tormenta Carthaginiensium ma- 8
luit pati, quam ut inutilis pax cum eis fieret aut ipse
iuris iurandi fidem falleret. Curtius, qui se in hia- 9
tum terrae immisit, cum ex oraculo quod optimum
esset in urbe Romana posceretur. Spurius Postumius, 10
qui a Pontio Telesino Samnitum duce sub iugum mis-
sus cum exercitu auctor fuit rumpendi foederis seque
hostibus censuit esse dedendum. Caecilius Metellus 11
pontifex, *qui ex* ardente templo Vestae Palladium ex-
tulit et oculos amisit.

XXI. QVI SPOLIA OPIMA RETTVLERVNT.

Romulus de Acrone Caeninensium rege. Cossus Cornelius de Larte Tolumnio Veientium rege. Claudius Marcellus de Viridomaro rege Gallorum.

XXII. QVI PROVOCATI AB HOSTIBVS MANV CONTENDERVNT.

1 Manlius Torquatus, qui Gallo torquem detraxit
2 eumque sibi circumdedit. Valerius Corvinus, qui a
Gallo provocatus cum pugnaret, corvus galeam eius
3 insedit et hostem perturbavit. Scipio Aemilianus, cum
esset legatus sub Lucullo imperatore, apud Intercatiam
Vaccaeorum urbem provocatorem barbarum occidit.
4 Lucius Opimius sub Lutatio Catulo consulē in saltu
Tridentino provocatorem Cimbrum interfecit.

XXIII. †QVI PRO ROMANIS GENTES SVPERAVERVNT.

Scipio Africanus, Scipio Numantinus, Scipio Asiaticus, Mummius Achaicus, Servilius Isauricus, Brutus Callaicus, Paulus Macedonicus, Metellus Creticus, Caesar Germanicus, Caesar Dacicus.

XXIIII. QVOT ILLVSTRES SCIPIONES, QVI MAGNIS REBVS GESTIS COGNOMINATI SVNT.

Scipio magnus Africanus, qui vicit Annibalem. Scipio minor Numantinus, qui Numantiam et Carthaginem diruit. Scipio Asiaticus, qui de Antiocho triumphavit. Scipio Nasica, qui a senatu vir optimus est iudicatus. Scipio * *, qui occiso Pompeio partes restituit et victus se interfecit.

XXV. *SECESSIONES PLEBIS.*

1 Secessiones plebis a patribus fuerunt quattuor.
Prima secessio propter impotentiam feneratorum, cum
2 in *sacrum* montem plebs armata secessit. Secunda
propter impotentiam decemvirum, cum interfecta filia
sua Virginius Appium et totam eius factionem in Aventino monte circumvenit effecitque, ut abdicato magistratu accusati atque damnati variis suppliciis puni-
3 rentur. Tertia propter matrimonia, plebei ut patriciis
nuberent, quam Canuleius concitavit in monte Ia-

niculo. Quarta secessio in foro propter magistratus, 4
ut plebei consules fierent, quam Sulpicius Stolo con-
citavit.

XXVI. SEDITIONES.

Seditiones in urbe quattuor. Prima seditio Ti- 1
beri Gracchi, quem de iudiciariis et agrariis legibus
statum civitatis moventem Scipio Nasica facta manu
in Capitolio oppressit. Secunda seditio C. Gracchi fra- 2
tris eius, quem ob similes largitiones novos motus
excitantem Opimius consul cum Decimo Bruto Cal-
laico, socero eius, convocatis ad pileum servis in Aven-
tino monte oppressit. Tertia seditio Apulei Saturnini 3
tribuni plebis et Glauciae consulis, quos comitia in
campo caedibus perturbantes Marius in Capitolium
persecutus obsedit et conficiendos fustibus saxisque
curavit. Quarta seditio fuit Livi Drusi et Quinti Cae- 4
pionis, cum ille senatum, hic equestrem ordinem ad-
sereret. Praecipua tamen ad motus excitandos fuit
causa, quod Drusus civitatem omnibus Italicis polli-
cebatur; sed tum a Philippo consule in domo sua in-
terfectus est.

XXVII. QVI ADVERSVS PATRIAM NEFARIA INIERE CONSILIA.

Coriolanus ob asperiorem annonam in exilium 1
actus Vulscorum exercitu admoto patriam expugnare
voluit, sed Veturiae matris precibus victus, tum ab
exercitu suo confossus est. [Marcus] Maelius cum 2
frumentaria largitione *affectare regnum* videretur, iussu
Quinctii Cincinnati dictatoris a magistro equitum in
rostris occisus est. Spurius, cum agrariis legibus 3
factionem et dominationem pararet **. Manlius Ca- 4
pitolinus, cum pecunia complures debitores liberaret,
suspectus regni affectati de Tarpeio saxo praecipita-
tus est. Catilina cum in caedem senatus, incendium 5
urbis, direptionem aerarii coniurasset et in id facinus

Allobrogas sollicitasset, ab Cicerone in senatu accusatus, ab Antonio in Apulia debellatus est.

XXVIII. POPVLVS ROMANVS CVM QVIBVS GENTIBVS BELLA CONSERVIT ET QVIBVS CAVSIS.

1 Populus Romanus sub Romulo pugnavit cum Sabinis prius propter virgines raptas: sub Tullo cum Albanis ***

2 Pontius Telesinus, dux Samnitum, qui ad Caudinas furculas Romanos sub iugum misit.

3 Pyrrus, rex Epirotarum, qui pro Tarentinis bel-
lum cum Romanis gessit vastataque Campania ad vi-
cesimum ab urbe lapidem pervenit, mox a Curio et
Fabricio victus in patriam concessit, et cum Achaiam
armis sub se redegisset, Macedoniam quoque Antigono
regi eripuisset, dum Argos expugnat, occisus est.
Omnium Graecorum sapientissimus et militaris disci-
4 plinae peritissimus fuit. Annibal, qui novem anno-
rum patrem in Hispaniam secutus, minor annorum
XXV imperator factus triennio in Hispania vicit et
eversione Sagunti rupto foedere per Pyrenaeum et Al-
pes in Italiam venit, et Scipionem ad Liternum, Tibe-
rium Claudium apud Trebiam, Flaminium apud Trasi-
mennum, Paulum et Varronem apud Cannas, Gracchum
in Lucania, Marcellum in Campania superavit. ***

XXVIIII. STATVS POPVLI ROMANI QVAS COMMVTATIONES HABVIT.

1 Populus Romanus primum sub regibus fuit: deinde
post superbiam Tarquinii et inlatum Lucretiae stu-
prum expulsis regibus tutelam sui consulibus tribunis-
2 que commisit. Deinde tribuniciis seditionibus agitatus,
abdicatis omnibus magistratibus decemviros legum fe-
rendarum et rei publicae constituendae causa paravit.
3 Horum quoque dominationem et libidinem detestatus
rursus ad consules rediit, donec exortis bellis civili-

bus inter Caesarem et Pompeium et oppressa per vim libertate sub unius Caesaris potestatem redacta sunt omnia. Ex eo perpetua Caesarum dictatura dominatur.

XXX. INITIVM REGNI MITHRIDATIS.

Cyrus rex Persarum primus imperium Medis ade- 1
mit: duos filios reliquit Cambysen et Smerden. Ho-
rum Cambyses defuncto patre, quod maior esset,
Smerden in solio sedentem capite caelum pulsare *in*
somnis videns occidendum [eum] curavit: ipse deinde
revertens ab Aethiopia rebus † perfractis cum in
Aegyptum *Memphin* venisset incolasque eius loci lae-
tantes advertisset, ratus illos adversis suis insultare 2
Apin in femine vulneravit eodemque ictu occidit. In-
terim magus quidam, Smerdes, Patizithae frater, abu-
tens nomine, ex formae suae similitudine filium se
Cyri professus regnum Persicum invaserat. Quod ubi
Cambysi nuntiatum est, regredi in patriam maturans
oblitus est gladium, quo Apin interfecerat, vaginae
reddere: quod cum conaretur efficere, femen suum
vulneravit et eam partem, qua Apin vulneraverat. Ex
eodem vulnere in paucis diebus obiit. De cuius morte 3
postquam certior nuntius ad Persas venit, Otanes
Phaedymam filiam suam, quacum Smerdes consuetu-
dinem habebat, edocuit, ut, cum ille sopitus esset,
utrum aures tectas comis haberet periclitaretur; scie-
bat enim a Cyro Smerdi mago ademptas aures. Illa
falsum esse Smerden confirmavit. Tunc septem no- 4
bilissimi Persae inter se coniuraverunt; eorum nomina
haec sunt: Otanes, Hydarnes, Aspathines, Intapher-
nes, Megabyzus, Gobries, Darius. Deinde mago
Smerde interfecto constituerunt, uti excepto posthac
Otane ex † illis regnaret, cuius equus primus in loco
quem delegissent hinnisset. Tunc Oebares, agaso Da- 5
rii, equum domini ad locum praedictum duxit: † ille
alio loco abscondet: tunc equus Darii magnum hinni-
tum dedit. Ita Darius regnum optinuit, a quo Arta-

bazes originem ducit, quem conditorem regni Mithridatis fuisse confirmat Sallustius Crispus.

XXXI. REGES PARTHORVM.

1 Seleucus Alexandri Macedonis amicus. Huius
post mortem ab Aridaeo fratre eius iussus Babylonem
optinere finitimos sub se redegit, unde Nicator est
appellatus, et tres validissimas urbes constituit, An-
2 tiochiam, Seleuciam, Laodiciam. Arsaces, forma et
virtute praecipuus, cuius posteri Arsacidae cognomi-
nati sunt, qui pacem cum Sulla imperatore fecit. Oro-
3 des, qui foedus cum Cn. Pompeio percussit, *et* Cras-
sum cum legionibus apud Carras funesta clade delevit.
4 Pacorus, qui filium suum eiusdem nominis misit in
Syriam, ut Romanas provincias popularetur, atque
ipse a Ventidio legato Iulii Caesaris occisus est.

XXXII. REGES CAPPADOCIAE ET ARMENIAE.

1 Tigranes, qui iam scriptus est; qui [tertio Punico
bello perdomuit sub Mancino consule et Scipione Aemi-
2 liano.] Bellus, rex Armeniae qui cum impetum in
Graeciam fecisset et Pythii Apollinis templum incen-
3 disset, tempestate et frigore exercitum amisit. [Poly-
crates] rex Cappadociae qui somniavit solem et lunam
4 uri [qui a praefecto Darii regis occisus est. Epami-
nondas] eius filius rex, [qui Thebas Graecorum **
5 pugnando vicit. Periander rex, qui Corinthi regna-
6 vit ** omnia terra et mari Romanis subiugavit. Ti-
moleon, qui Corinthi fratrem suum regnantem inter-
fecit: idem et Dionysium Siciliae regem expulit neque
ipse ab offerentibus regnum accepit, sed arcem quo-
que demolitus est. Hic cum convitia mala audiret,
ait: 'tota vita mea id egi ut omnes liberi essemus.']

XXXIII. REGES ASIAE ET PERGAMI.

1 Eumenes Cardianus Philippi ** Alexandri armi-
ger bellicosissimus, sed parum prospera fortuna usus,
adeo tamen terribilis, ut vivente eo nemo ausus sit

rex appellari. Antiochus, qui iam scriptus est. Eu- 2
menes alius, qui Romanos Macedonico bello iuvit cum
milite suo. Attalus, qui pro Romanis saepe pugna- 3
vit; idem testamento suo populum Romanum heredem
fecit.

XXXIIII. REGES PONTI ET BITHYNIAE.

Pharnaces, rex Bithyniae, filius Mithridatis, qui 1
bello civili quod in Pharsalia gestum est, milite pa-
tris sui Syriam invasit, et adventu Caesaris, antequam
in congressum eius veniret, ipso terrore nominis victus
refugit in Pontum. Prusias rex, amicus populi Ro- 2
mani, ad quem Annibal victo Antiocho confugit, et
cum a rege exposceretur per legatos veneno se libe-
ravit. Nicomedes, socius et amicus populi Romani, 3
in cuius amicitia prima aetate Caesar fuit, qui mo-
riens testamento et ipse populum Romanum heredem
† dimisit.

XXXV. REGES ALEXANDRIAE.

Post mortem Alexandri Macedonis regnaverunt 1
Alexandriae † Aegyptum octo Ptolemaei nomine, multi
clarissimi viri. Ptolemaeus Euergetes, qui Alexan- 2
drum aput Oxydracas obiecto clipeo protexit. Ptole-
maeus, eius filius, Philadelphus, litteratissimus, qui
plurimos libros Graecos scripsit. Ptolemaeus Soter, 3
qui ingenti classe Rhodios vicit. Ptolemaeus Tryphon,
qui seditiosos in theatro sagittis occidit, alios flammis
dedit. Huius filius † Cipris pro Romanis multa bella 4
gessit adversus Garamantas et Indos. Ptolemaeus,
Pupillus dictus, qui Pompeium tutorem a senatu ac-
cepit, donec pubesceret, et postea civili bello a Po-
thino interfectus est.

XXXVI. DVCES ET REGES CARTHAGINIENSIVM.

Hanno et Mago, qui *primo* Punico bello Corne- 1
lium consulem apud Liparas ceperunt. Hamilcar, qui 2

Barcas cognominatus est, primo Punico bello magnam
partem Hispaniae sub imperium Carthaginiensium re-
degit relictis filiis quattuor, Asdrubale, Annibale, Ha-
3 milcare et Magone. Asdrubal, frater Annibalis, qui
secundo Punico bello cum ingentibus copiis ab Hispa-
nia veniens, antequam se fratri coniungeret, a Claudio
Nerone exspoliatus est.

XXXVII. REGES NVMIDIAE.

Syphâx, quem Scipio Africanus victum in triumphum traxit regnoque eius imposuit Masinissam. Masinissa rex, qui Scipionem adversus Carthaginem et Syphacem equitatu adiuvit: ab eo inter praemia commilitii Numidiae regno donatus est. Iugurtha, qui scriptus est.

XXXVIII. REGES MAVRITANIAE.

Iuba rex, qui Curionem legatum Caesaris oppressit; mox occiso Pompeio Catonis et Scipionis partes firmare conatus, cum se in regiam recepisset, post magnificam cenam interficiendum se dedit. Iuba, rex litteratissimus, qui Caesaris Augusti iussu regnavit et magnificentissimam urbem Caesaream condidit.

XXXIX. QVI ADVERSVS POPVLVM ROMANVN ARMA SVMSERVNT.

1 Tatius rex Sabinorum, qui occupata arce Tarpeia
in ipso foro cum Romulo decertavit et interventu Sa-
2 binarum pacem cum Romulo fixit. Mettus Fuffetius,
rex Albanorum, qui contra foedus ad Fidenatis de-
scivit et iussu Tulli Hostilii deligatus ad currum et
3 in diversa actis equis laceratus est. Porsenna, rex
Etruscorum, qui Romanos ad Ianiculum obsedit pro-
pterque Tarquinios ***
4 Tiridates, qui a Corbulone consulari viro victus
et restitutus est.

XL. BELLA CIVILIA QVOT.

Civilia bella quattuor mota sunt in urbe a Roma- 1
nis. Civile bellum primum Sulpicius tribunus exci-
tavit, quod susceptam provinciam Mithridaticam Sulla
in Marium transferri noluisset. Secundum bellum Le- 2
pidus contra Catulum † ob metum Siciliae expoliatae.
Tertium bellum Caesar et Pompeius. Belli species 3
magis quam causa fuit negatus a senatu Caesari con-
sulatus, ceterum utriusque aemulatio et cupiditas im-
perii occupandi. Nam cum secundum mores legemque
maiorum dimisso exercitu venire in urbem Caesar de-
beret et docere senatum de rebus a se gestis atque ita
triumphum consequi, simulans se gratiam timere Pom-
pei negavit se missurum exercitum, nisi consularibus
comitiis ratio absentis sui habita fuisset. Quam ob rem
hostis a senatu iudicatus statuit id bello vindicare;
ac sic non consulatum modo ac triumphum, sed to-
tum populi Romani imperium redegit in suam pote-
statem. Quartum bellum Caesar Augustus adversus 4
complures duces: contra Pompeium iuvenem bona pa-
terna repetentem, mox adversus Cassium et Brutum
in ultionem interempti patris, deinceps adversus An-
tonium et Cleopatram ultro bellum patriae inferentis.

XLI. *QVOT GENERA BELLORVM.*

Bellorum genera sunt quattuor. Gentile, quod cum externis geritur, ut Romani cum Latinis, Athenienses cum Lacedaemoniis. *** Servile, quod Romani adversus fugitivos gesserunt et contra duces eorum Spartacum, Crixum et Oenomaum. Civile, quo inter se certant cives, ut Marius et Sulla, Caesar et Pompeius, Augustus et Antonius.

XLII. ORDO BELLI MARIANI.

Inexplebilis honoris Marii cupiditas decretam Sul- 1
lae Ponticam provinciam voluit eripere per rogatio-
nem Sulpici tribuni plebis. Sulla indignatus continuo

ad exercitum perrexit et eum urbi admovit et in pa-
triam ingressus Capitolium occupavit, quo terrore victus
2 senatus Mario totique factioni eius interdixit. Pro-
fecto deinde in Asiam Sulla Marius exul cum profu-
gisset ac primum Minturnis in palude latuisset, tum
coniectus in carcerem evasisset, interim Cinna et Octa-
vius in urbe * * *, hac occasione data Marius rediit
et secum Cinnam adduxit victis Octavianis partibus.
Septimum consul creatus saevissimis caedibus totam
3 urbem funestavit. Sulla interim victo Mithridate in
urbem reversus prope totam Italiam in armis invenit
sub iuvene Mario Mari filio, sed omnes eius copias
partim in Etruria ad Sacriportum, partim ad Colli-
nam portam prostravit et reliquias adversariorum [eo-
rum], qui se dediderant, in villa publica trucidavit:
qui diffugerant, in tabula proposuit iure permisso ut
interficerentur.

XLIII. ORDO BELLI INTER CAESAREM ET POMPEIVM.

Caesar et Pompeius et Crassus inita societate imperium Romanorum possidebant: Caesar Gallicos, Crassus Syriacos exercitus habebat; Pompeius horum viribus fretus in senatu dominabatur. Post Crassi mortem apud Parthos ***

† Musus Barbarus Asculanus, Quintus Lutatius Catulus.

XLIIII. DE BELLO MACEDONICO.

Populus Romanus cum Macedonibus bellum ter gessit. Sub Flaminino consule regem eorum Philippum vicit, sub Paulo Persen Philippi filium, sub Metello Macedonico Pseudophilippum. Primi belli causa, quod de iniuriis Macedonum Graeci querebantur; secundi, quod foedus cum patre suo percussum ruperit Perses; tertii, quod falso nomen regum Macedonum Pseudophilippus invasit.

XLV. *DE VARIIS CLADIBVS POPVLI ROMANI.*

Etrusco bello, cum Porsenna rex Ianiculum obse- 1
dit: Gallico bello, cum Galli Senones exercitu apud
Aliam deleto, urbe incensa Capitolium obsederunt:
Tarentino bello, cum Pyrrus ad vicesimum lapidem 2
totam Campaniam populatus accessit: Punico bello,
cum Annibal Cannensi exercitu fuso ad tertium lapi-
dem castra posuit: Cimbrico bello, cum Cimbri Tri-
dentinas Alpes occupaverunt: servili bello, cum Spar- 3
tacus, Crixus et Oenomaus gladiatores populata prope
tota Italia, cum ad incendendam urbem pergerent, in
Lucania a Crasso, in Etruria a Pompeio consule op-
primuntur.

XLVI. DE TRIBVS PVNICIS BELLIS.

Populus Romanus cum Carthaginiensibus ter di- 1
micavit. Primum Punicum bellum navalibus copiis
gestum est: causa motus praetendebatur duplex; al- 2
tera, quod Carthaginienses Tarentinis adfuissent; al-
tera, quod Mamertini adversus Poenos auxilium po-
scerent: ceterum re vera praemium fuit Siciliae et
Sardiniae possessio fertilissimarum insularum. Appius 3
Claudius bellum in Siculo freto commisit; Manlius et
Regulus in ipsa Africa profligaverunt; Duillius consul
apud Liparas insulas, Lutatius Catulus apud Aegates
mersis hostium classibus consummaverunt. Secundum 4
Punicum bellum longe omnium cruentissimum fuit:
causa, quod Annibal contra foedus Saguntum ever-
tisset. Prima clades huius belli aput Liternum vul- 5
nerato patre Scipione, quem Publius Scipio nondum
pubes protexit ac liberavit. Secunda clades apud Tre-
biam vulnerato Flacco consule; tertia apud Trasimen-
num vastato Flamini exercitu; quarta aput Cannas
deletis duobus exercitibus Pauli consulis morte, Te-
rentii fuga Varronis. Postea vero quattuor duces 6
Punici belli gloriam sibi vindicant: Fabius sive cuncta-
tor, qui imminentem urbis excidio Annibalem mora

fregit. Marcellus, qui primus Annibali aput Nolam
restitit et inclinatam eius aciem penitus trucidavit:
Claudius Nero, qui venientem ab Hispania Asdruba-
lem cum ingentibus copiis, priusquam se Annibali iun-
7 geret, excepit et ingenti proelio vicit. Tertium Pu-
nicum bellum maioris gloriae quam operis fuit. Nam
Manilio consule inchoatum excidium Carthaginis Scipio
Aemilianus consummavit, et una [cum Tigrane] in-
censa Carthagine totius Africae vires in perpetuum
repressit, quod contra foederis pactionem Carthagi-
nienses comparassent classes et arma finitimis in-
tulissent.

XLVII. VSQVE IMPERIVM TRAIANI QVI VICTI SVNT ET PER QVOS DVCES.

1 Populus Romanus per Flamininum consulem Mace-
donas vicit; per Paulum consulem * * sub rege Perse
2 rebellantes; per Scipiones Africanos Carthaginienses;
per Scipionem *Asiaticum* in Syria vicit regem Antiochum;
per Scipionem Aemilianum Celtiberos et Numantiam;
3 per eundem Scipionem Lusitaniam et ducem Viria-
tum; per Decimum Brutum Callaeciam; per Mum-
mium Achaicum [et] Corinthum et Achaeos; per Ful-
4 vium Nobiliorem Aetolos et Ambraciam; per Marium
Numidas et Iugurtham; per eundem Marium Cimbros
5 et Teutones; per Sullam Ponticos et Mithridatem: per
Lucullum * *; *per Pompeium* item eosdem Ponticos et
Mithridatem, item Cilicas piratas et Armenios cum rege
Tigrane et plurimas Asiacas gentes; sub hoc enim
duce ad Indicum Oceanum et rubrum mare usque per-
6 venit: per Gaium Caesarem Gallias, Germanias et
Brittanniam: sub hoc duce non tantum vidit sed etiam
7 navigavit Oceanum: per Caesarem Augustum Dalma-
tas, Pannonios, Illyricos, Aegyptios, Germanos, Can-
tabros totumque orbem perpacavit exceptis Indis, Par-
this, Sarmatis, Scythis, Dacis, quod eos fortuna Tra-
iani principis triumphis reservavit.

XLVIII. DE COMITIIS.

Comitia dicuntur a comitatu et frequentia, quod 1
patres et classes ad suffragia vocantur creandorum
magistratuum vel sacerdotum causa. Comitiorum au- 2
tem triplex ratio est: haec curiata, haec tributa, haec
centuriata dicuntur, quia aut per curias, aut per tri-
bus, aut per centurias explicantur. Si translaticium 3
sit et solitum, de quo populus * *, curiatis transigi-
tur: si amplius, tributis: si in summo discrimine est,
tum miles ad suffragia vocatur et comitia centuriata
dicuntur.

XLVIIII. *DE POPVLI ROMANI DISTRIBVTIONIBVS.*

Antiquissima populi Romani distributio triplex 1
est, quam Romulus fecit: in regem, in senatum, in
populum, qui populus in tres tribus dividebatur, Ti-
tiensem, Lucerensem, Ramnetem. Sequens populi 2
Romani distributio sub Servio Tullio rege, qui eum
in tribus, classes, centurias divisit et distribuit ra-
tione census, ut optimus et locupletissimus quisque in
suffragiis, id est in re publica plurimum valeret. Ter- 3
tia divisio est in patronos et clientelas, quia inferio-
res superiorum se fidei committebant.

L. DE REBVS PVBLICIS.

Rerum publicarum tria genera sunt: regium, optimatum, populare. Aut enim sub regum sunt potestate, ut Seleucia Parthorum: aut senatus, ut Massilia Gallorum: aut se ipsi regunt, ut Athenienses solebant. Est et quartum genus, quod Romani commenti sunt, ut ex his tribus unum efficerent: nam et regiam potestatem consules habent, et penes senatum consilii publici summa est, et plebs habet suffragiorum potestatem.

Tzschuckii Dissertatio de Ampelio.

§ 1.

Quis fuerit Ampelius, quales habuerit natales, qua vitae sorte et conditione usus sit, obscura est et dubia quaestio, quam neque eius liber illustrat, neque aliorum [1]) curae satis expediunt. Quae ipse indicia posuit, uti sunt pauca, ita etiam ambigua, ut aetas eius et vita agnosci tuto non possit. Traiani mentionem facit cap. 47. et Hadriani tempora spectare videtur, quod de signo Iovis Olympii Athenis dedicato narrat cap. VIII. fin. Ante divisum a Theodosio imperium Romanum vixisse, apparet ex cap. XXIX., ubi haec leguntur: „*Donec exortis bellis civilibus inter Caesarem et Pompejum et oppressa per vim libertate, sub unius Caesaris potestatem redacta sunt omnia.*" Posterioris aevi certissima signa praefert orationis forma non solum, sed et ipsa verba, quae passim adhibet, et si iudicare licet ex iis, quae de verborum novorum prima origine et frequentiori usu, quatenus persequi et investigare licet, novimus, occurrit verbum *perpotiri* c. XVIII. [2]), cuius prima exempla praebet Codex Iustin. XII, 16, 3., ubi in edicto Theodosii et Valentiniani ponitur. Quae quidem cum superioribus non refragentur, sed subiungi commode possint, tenenda esse videntur.

1) De Ampelio, quem silentio multi praeterierunt, in his *Vossius*, *Hambergerus*, *Sabbathierius*, *Bergstraesserus* — consulendi sunt ex recentioribus *Salmasius* in Praefatione ad Ampelium, *Gothofredus* in Prosopographia Codicis Theodosiani p. 349., *Valesius* ad Ammianum Marcellinum XXVIII, 4., *Reinesius* ad Hofmannum Epist. XXVII. p. 117., *Fabricius* in Bibl. Lat. Tom. I. 2. 23. p.

126. Tom. II. p. 784. (ed. Ernesti. Tom. II. p. 449.), *Tillemont* in hist. des Empereurs T. V. Article 22. p. 51., *Dukerus* in Praefatione ad Flor. sub fine, *Mazzucchelli* in gli scrittori d'Italia. Vol. I. P. II. p. 650., *Adelungius* in Zusätzen — zu Iöcher's Lexicon h. v., *Saxius* in Onomastico P. I. p. 430., *Wernsdorfius* ad Himerium p. 286., ubi etiam ex superioribus aliquos producit, in iis *Furetum* ad Symmachum V. 66., quem tamen frustra adii.

2) Vid. ibi not. 32.

§ 2.

At circumspiciendum nunc est, quae aetatis et vitae signa afferant alii auctores illis congrua. Quorum si testimonia et prisci aevi monumenta inquirimus, occurrit quidem Ampelii nomen, sed, cum nusquam libri huius mentio adiecta reperiatur, utrum illud nomen ad auctorem nostrum, an ad alium pertineat, pro certo affirmari non potest. Modo id liquet, in Romanis id nomen non incognitum fuisse, et, si quis propius coniectura ad nostrum accedere velit, ex Ampeliorum gente eum esse eligendum, cuius aetas in Theodosii tempora et imperium incidit. Occurrit autem in auctoribus Ampelii cuiusdam mentio, qui Valentiniani et Theodosii aetatem proxime attigit, aut illis fuit aequalis, veluti in *Himerio* Eclog. XXXI. in.[3]) et Orat. XXX in [4]) *Ammiano Marcellino* XXVIII, 4. in., in Codice Theodosiano, ubi tredecim leges ad eum extant; *Symmacho* V, 54. 64. (66.). Eundem etiam respicere videtur *Sidonius Apollinaris* Carm. IX, 301. (305.), quia simul praeter alios coniungit Symmachum. Qui si fuit Ampelius noster, ut videtur, doctique viri [5]), etsi, quod in his fieri debet, fere dubitanter, existimant, natus est [6]) Antiochiae, quocum consentit forma nominis Graeca, atque inde Romam concessit, ubi ad summos honores evectus est. *Ita clarae et illustris recordationis virum* vocat *Symmachus* [7]), et in altero loco *de summatibus quondam Senatus*. Sed si honores ipsos diserte indicatos velis, fuit *magister officiorum* [8]), inde bis *Proconsul*; geminum enim eius proconsulatum commemorat Ammianus, quod quidem referunt [9]) ad Proconsulatum Achaiae

atque Africae; certe ἀνθύπατον vocat etiam Himerius [10]. unde de proconsulatu Achaiae coniicere licet, quem extremis Constantii annis, forsitan an. 361. gestum esse, putat Wernsdorfius [11]. Africae proconsulatum ex Codice Theodosiano ad exordium Valentiniani refert Valesius. Multo postea, ut scribit Ammianus, ad Praefecturae (Urbis) culmen evectus est, cuius mentionem iniicit etiam Symmachus [12]. Quod Onuphrius Panvinius in Fastis notat, iniit eam Valentiniano et Valente Augg. Conss. Tillemontius indicat annum Chr. 370 — 372. Administravit autem eam ad favorem populi adipiscendum aptissime, nonnunquam severissime, sed ad morum luxuriantium correctionem parum constanter, de quo plura affert Ammianus Marcellinus. Quodsi idem ille est Ampelius, cuius mentionem facit Sidonius Apollinaris, cum inter eruditos homines non sine laude ponatur, et ipsum literarum scientia instructum fuisse credibile est. Et sic facile auctor libri huius multiplici et varia rerum copia referti esse potuit. Diversum tamen nostrum hunc putat *Fabricius* a Symmachi, et quod hinc consequitur, etiam aliorum Ampelio; in quo consentientem habet *Dukerum*, recte quidem, si Ampelium illum Symmachi Sidonio aequalem cum *Savarone* facias, etsi Sidonius de eo tanquam mortuo loquitur. Alios, qui passim occurrunt, et a Fabricio producuntur, si vel in eo addideris Alarici filium, eiusdem nominis, nemo ad nostrum, quod equidem sciam, retulit, nec temere retulerit.

3) Ἀμπέλιος.

4) Ubi vitiose scribitur Ἀμπήλιος.

5) Veluti *Savaro* ad Sidonium l. l., *Borrichius* in Conspectu Auctor. Latin. p. 23., et, quos supra commemoravi, *Salmasius*, *Mazzucchelli*, *Saxius*, *Wernsdorfius* cc. *l. l.*

6) *Ammian.* c. I.

7) V, 54.

8) *Ammian.* c. I.

9) Vid. *Valesius* ad Ammian. l. l. *Gothofredus* c. l. *Tillemont.* l. l.

10) *Orat.* 30.

11) Ad Himerium p. 236.

12) V, 54.

§ 3.

Firmius iudicari potest de Ampelii libro, cuius potiora iam breviter strictimque commemorabimus. Inscribitur *Liber Memorialis*, quem titulum ipse auctor in epistola praefixa probat. Dicuntur autem varie illi libri, prout fert verbi vis et significatio, vel temporum ratio hominumque usus invexit. Possunt enim esse, et sunt vere libri, in quibus res enarrantur, quorum memoriam posteritati mandari et servari volumus, quales brevius etiam *memoriae* olim appellabantur, uti *memoria vetus* apud *Tacitum* [13]), *Gellium* [14]) et iam apud *Ciceronem* [15]). Et sic *memoria vitae* in *Suetonio* [16]). Eodem vero etiam sensu dicuntur *libri memoriales*, quales scripsisse *Masurium Sabinum* constat ex Gellio [17]), qui antiquiori nomine sunt commentarii, veluti Iulii Caesaris de Bello Gallico, Graecis *ἀπομνημονεύματα*, qualia sunt Xenophontis de Socrate. Post vero omnes omnino libri hac appellatione insigniuntur, qui memoriae adiuvandae et firmandae causa confici solebant, et a Suetonio [18]) memorantur. In Glossariis Graecis *μνημόσυνον* explicatur *memorabile*, seu potius *memoriale*, uti legendum censet Martinius [19]). Sunt autem eiusmodi libri varii argumenti, consilii, hominum variorum et rerum, quae aliis scribuntur, ut conservent memoria, commodeque repetere et revocare opportune possint. Multiplicem eorum usum prolixe explicat *Du Fresne* [20]), simulque docet, *memoriales membranas* etiam dici ex inscriptione Codicis Carolini MS. apud Lambeckium [21]). Erant etiam eadem de causa *memoriales* inter Palatina officia, qui in scriniis memoriae, epistolarum, libellorum sacrarumque dispositionum referebant-

tur, uti est in Codice Iustiniani [22]), omninoque cuiuslibet scrinii scripta exsequebantur, et quasi scriptores erant, de quibus disseruit *Gutherius* [23]). Scrinia autem illius temporis sensu loculi sunt, in quibus acta principum, libelli et commentarii adservantur, et quo nomine paulo ante memoriae numerabantur. Hic autem Ampelii *liber memorialis*, cuius causa illa disputata sunt, collectio est variarum rerum toto orbe memorabilium ex variis auctoribus compilata, summatimque classibus suis et locis descripta, ut quasi uno conspectu brevique imago rerum coelestium terrestriumque contracta mentis oculis subiiceretur celeriusque comprehenderetur. Mos quippe fuit seculi illius, prono cursu ad barbariem ruentis, hominibus, qui vel ipsi libris continuis scribendis impares se sentirent, aut aliorum inerti socordiae utiliter consulere cuperent, in liberorum etiam suorum, veluti *Gellius*, et *Macrobius* fecerunt, gratiam magis quidem apto probabilique consilio, aliorum libros ad compendium et summas redigere, unde multorum auctorum iactura consecuta est, vel ex multiplici librorum antiquorum lectione potiora conquirere, et per indices et membra quaedam digesta, ordine breviterque recensere. Eiusmodi libros multos *Gellii* aetate, miris aliquos titulis insignitos, fuisse, docet ipse in praefatione. De utroque illorum genere disputavit et exempla posuit *Salmasius* in Praefatione primae Ampelii editioni praefixa, post, varie etiam, repetita. Ex posteriori genere hunc esse Ampelii libellum, et ipse monet in dedicatione, et declarat ipsa eius lectio.

13) *Annal.* VI, 28.

14) *N. A.* IV, 6. in. 12.

15) *Orator.* c. 34.

16) *Vit. Claudii* c. I. — Cfr. *Ernesti* et *Oudendorp* ad Sueton. Aug. c. 79.

17) IV, 20. V, 6. VI, 7. —

18) *Iul. Caes.* c. 56. —

19) In *Lex. Philolog.* s. v. *memoriale* T. I. p. 307.

20) In *Glossar. med. et infim. Latinitat. T. IV. p.* 660. *s. v. memorialis.*

21) In Commentar. de Bibl. Caesar. II, 5.

22) XII, 29. 2.

23) De Officiis domus Augustae III, 7. —

§. 4.

Dedicavit autem *Macrino*, de quo, quis qualisve fuerit, afferre non possum, neque alius quispiam attulit. Hoc unum omitti non debet, Salmasii vetus exemplar habuisse *ad Macrinum*, at aliter, *ad Marinum*, fuisse in Codice Divionensi affirmaverat *Pithoeus Sirmondo*, uti hic refert ad Sidonium Apollinarem [24]).

24) c. l. p. 141.

§. 5.

Diversa expertus est hic liber hominum eruditorum judicia. Culpant alii, alii iique pauciores laudant. *Futilis* vocatur a viro docto in Actis Eruditorum [25]); vix dignus, cui beneficium demtae maculae conferatur, ab *Hemsterhusio* ad Luciani Dialogos Deorum [26]). In utroque concinit *Dukerus*. Contra stili concinnitatem, rerumque plurimarum, quas aliunde non liceat sumere, novitatem jactat praefatio editioni alteri [27]) praefixa; elegantem varietatem, qua narrationes totius orbis celebriores breviter complectatur, *Fabricius* in Bibliotheca Latina [28]), nudum et simplicem stilum Olaus *Borrichius* [29]). Dignum etiam quidam censuerunt, cui emaculando et passim illustrando operam suam darent, in quibus *Munckerus*, *Freinshemius*, *Heinsius*, *Perizonius et Dukerus* praecipue nominandi sunt. In hoc sententiarum divortio etsi, quid recte statuendum esset, ad lectorum arbitrium commode deferri posse videbatur, quod occupare nolo, tamen, cum editoris partes exigant, in primis, qui juvenum tutis usibus consultum velit, ut collocatae operae causam et rationem declaret, auctoremque suum com-

mendatione aliqua munitum in lucem publicam producat, deesse et isti officio nolui.

25) An. 1723. p. 114.
26) XXVI, 1.
27) Lugd. Bat. 1655. 12.
28) l. c.
29) in Conspectu Auctorr. Lat. 4. p. 23.

§. 6.

De oratione autem primum cum Latinitatis corruptae multa et luculenta signa praeferat hic liber, etsi aliqua a librarii imperitis manibus adspersa esse arbitror, non refragor, si quis aliquantum ab indole et elegantia prisci aevi recedere dicat. Neque brevitas ipsa narrationis et adstrictior tot tantarumque rerum complexus admittebat, aut desiderabat, si vel maxime enitendum putasset auctor, orationis concinnam suavitatem numerosamque et copiosam ubertatem. Sufficit, si exceperis seculi labem, descriptorum incuria aut inscitia auctam, de qua monendi sunt juvenes, satis recte eleganterque eum exposuisse, tenuique orationis cultu et simplici, qualis decebat, narrationes confecisse.

§. 7.

At spectandae hic sunt potissimum res ipsae, quas ex toto terrarum orbe conquisitas contractasque breviter et locis suis descriptas sub adspectum ponit, ut intelligi sine mora et citius ad mentem deferri tenerique possint. Ut autem facile allicit legentes delectatque mira eorum varietas, ita etiam excitat intenditque multarum novitas, quas aliunde discere non licebat et solus tradidit, veluti de Marcello, quem cap. XVIII. docuisse scribit equites, quomodo sine fuga cederent. Ita quae de Cethego cap. XIX., de Opimio cap. XXII. narrat, in aliis hodie non reperiuntur, et, ut alia exempla taceam, quae in notis indicavi, plurima in primis exhibent capp. II. VIII. IX., quae et

sunt recondita maxime et a vulgari scientia remota. Alia autem aperte falsa tradidit, multa etiam turbavit, in quibus monendi erant juvenes, et ad veriora et rectiora avocandi. Ex quibus autem fontibus sua hauserit, in novis non liquet, in aliis nec semper nec certo. In astronomicis vidi pleraque petiisse ex Nigidio; cuius dum multa loca reddit Scholiastes Germanici, illud simul manifeste comprobat. *Nepotem* imitatur cap. XV., in pluribus locis *Florum* sequitur, de quibus in notis etiam monitum esse intelligent lectores. Quam vere autem recteque narret, dubium saepe esse videtur, etsi de omnibus judicare non licet, in aliis ordinem chronologicum turbat.

§. 8.

Ampelii primam editionem debemus *Salmasio*, qui Codicem ex Bibliotheca *Jureti* nactus erat, ut scribit in praefatione et antea indicaverat in Exercitationibus Plinianis in Solinum [30]). An idem fuerit Codex, quem servavit Bibliotheca S. Benigni Divione, et commemorant ad Sidonium Apollinarem [31]) *Savaro* et *Sirmondus*, ignoratur, esse tamen posse inde suspicatur *Salmasius* in praefatione, quod *Juretus* ex illa Bibliotheca aliquando libros utendos acceperit. Sic igitur a Jureto Codex Divionensis descriptus et in Salmasii manus transiisse videtur, etsi de ejus descriptione nihil notatum inveni. Quod Savaro opera Ampelii et Sirmondus fragmenta Ampelii quaedam ex Divionensi illo Codice memorant, illorum judicium esse videtur, quod rem ipsam nec mutat nec turbat. Dubium possit facere, quod de *Marini* nomine supra retuli. Sed quam facile a Pithoeo, vel, qui ex illo acceperat, Sirmondo in ignoti obscurique nominis scriptura error admitti potuerit, et in his admitti soleat, quivis facile intelligit. At dubitationem omnem sustulisset, et disceptationem diremisset, si placuisset Sirmondo, praefationem adscribere, quam sibi a Pithoeo ostensam fuisse affirmat. Primum autem edidit hunc Ampelii librum

brum *Salmasius* Floro appensum Lugduni Batavorum 1638. 12. et, qua ratione egerit, quamque operam adhibuerit, ipse in praefatione sic commemorat: „Quae potuerunt sine magno negotio et citra nimiam libertatem castigari, ea correximus omnia. Plurima tamen etiam reliquimus, quae facillimum erat restituere et mutari tuto poterant; sed intacta ideo praetermisimus, quia tantum nobis licere noluimus, et non tanti visa sunt nonnulla eorum, ut scripturam veterem sollicitandam putaremus. Fatendum est, et non pauca haberi, quae sine ope melioris Codicis vix a quoquam possint emendari. Eorum vero, quae ex conjectura in contextu emendavimus, et, quae inemendata reliquimus, in notis aliquando corrigendorum, ratio reddetur, cum edentur. Edentur autem propediem". De commentario, quem paraverat, idem testatur *Clementius* in Vita Salmasii [32]), sed, quo migraverint, non addit, forsitan quod ignoravit. Nunquam enim apparuit ille commentarius, ex quo non solum de Codicis lectionibus verius judicari, sed in tam copiosa et vasta Salmasii eruditione ipsi Ampelio clarissima lux oboriri potuisset. Non autem semper Codicem recte et fideliter reddidisse et superiora ejus verba declarant, sed et discitur ex iis, quae ad Solinum inde attulit, veluti p. m. 610. *Rhoetaeon*, ubi hodie cap. VIII. editur, illo praeeunte, *Rhoete*, et p. m. 607. *Pelinnam*, ubi nunc legitur cap. II. *Pelenaeo monte*. Post saepius prodiit Ampelius, comes perpetuus Floro adjunctus, nudus quidem et incultus, donec excitatum doctorum quorundam studium ad ejus curam converteretur. Fuerunt hi in primis *Munckerus*, qui multa Ampelii loca tractavit in Notis ad Mythographos Latinos, *Freinshemius* passim ad Florum, *Heinsius* et *Perizonius*, qui exemplaribus suis alleverant aliquot emendationes, quas in lucem protractas suis auxit et Ampelio subjecit *Dukerus*, qui et ipse multa loca explanavit et explicuit in Flori editione duplici 1722 et 1744., quam posteriorem, ut in Floro, ita etiam in Ampelio nova prioribus addere, aliqua etiam immutata

afferre, ex utriusque comparatione facta saepe intellexi. Neque tamen illorum virorum curae totum auctorem et ex omnibus partibus complectuntur, sed tantum selecta aliqua loca plerisque omissis attingunt, neque antiquiores illas et primas consuluerunt, a quibus recentiores, quod solet, in repetitionibus verborum et nominum typothetarum negligentia deflexerunt, uti in notis passim indicavi. Hinc factum est, ut alia emendanda censerent, quae recte olim expressa erant, veluti cap. VII. *supremum*, c. XV. *Peloppounesi*, c. XXV. *partibus* —; alia manca et male omissa reprehenderent, quae typothetarum culpa exciderant, cuius insigne est exemplum in capite ultimo. Nempe, quod mireris, neglecta prorsus editione prima auctoris nostri 1638. 12. reddiderunt sequentem 1655. 8., quae a prima illa in multis locis desciscit, et vel immutat aliqua, vel omittit, quod ex notis intelligi potest. Ita etiam, quam praeponunt hodie praefationem Salmasii, repetierunt ex eadem editione 1655, cum prima sit et vera sola Salmasii, quam dedit postea 1657. etsi, si exordium excipias, parum discrepat. Porro sunt alia, quae, etsi recte restituerunt in notis viri docti, ita tamen jam legebantur in editione 1657. 12., veluti cap. XXI. *Larte Tolumnio.* Tacite enim plura exhibet illa editio, quae prima ignorat, neque tamen certam legem et rationem sequitur. Ita cap. VII. pro *Abinnam* dat *Abylam*; cap. XIX. *excitaret, interfectus est,* male pro *excitarent, interfecti sunt*; cap. XIX. *deservierat* pro *deseruerat.* Sed et ipsa omittit versum illum integrum cap. L. Accesserunt in nostris editionibus aliae quaedam labes, quae ex Dukeriana editione secunda defluxerunt. Sic cap. XI. male hodie cum illa omittunt *minus.* Quaedam tamen jam Dukeriana editio prior male obtrusit, quae antiquiores non agnoscunt, ut cap. IX. *τὸ et* ante *Rhodi.* Gratissimum igitur fecit *Jo. Aug. Muellerus*, Scholae Electoralis Misnensis [*Tzchuckii* b. scilicet tempore] Rector et doctissimus et dignissimus, quod ex libraria sua supellectile mecum primam illam Salmasii editionem humanissime com-

municavit, ad quam textus hodierni formam et rationem exigere licebat. Haec igitur habuimus adhuc, quae tributa essent Ampelio; textus ipse jacuit sordibus priscis inquinatus, res ipsae pleraeque tenebris occultae, nec oratio monitoris et adiutoris opem experta est. Quod enim tradit *Koenigius* [33]) ab Oiselio cum commentario editum fuisse Ampelium an. 1672. etsi diu multumque quaesivi, vacuus tamen a labore semper redii, neque excussis suis opibus locupletissimisque Bibliothecae Electoralis Dresdensis thesauris alibi notatam investigare potuit *Adelungius*, quem honoris causa nomino, quantum eius benevolentiae acceptum tulerim, suo loco melius praedicabo. Bipontini etiam, qui Floro notitiam literariam editionum Ampelii praeposuerunt uberrime instructam, neque eam norunt, neque omnino editionem Flori et Ampelii eo anno factam indicant. Abeat igitur illa editio augeatque commentorum cumulum, qui sat altus congeri possit ex narrationibus doctorum hominum de veterum actorum antiquis maxime editionibus, donec prodeat testis idoneus, qui se recte et vere vidisse vel possidere affirmet. Ex editionum autem copia, quarum recentissima, quod equidem sciam, curata est Norimbergae 1787. 12. plerasque manibus versavi, maxime antiquiores cum recentioribus comparavi, unde quidem fructus aliquis percipi posset. Extat etiam versio Ampelii Italica, Romae 1639. 12. vulgata, cuius auctor fuit *Santi Conti*. Indicavit eam *Fabricius* in Bibliotheca Latina l. l., sed admixto errore, quem, cum ab aliis, Bipontinis etiam exceptum et propagatum videam, notare hic liceat. Scribit enim Fabricius adjunctum esse Sextum Rufum, quem tamen postea demum in repetita Ampelii versione, Romae 1672. 12. additum esse, docuit *Paitoni* [34]), et contra Fabricium diserte monuit.

30) Cap. 40, p. m. 610.

31) Carm. IX, 301. s. 305.

32) Eius Epistolis praefixa p. 68.

33) In Bibliotheca vetere nova p. 34.

34) In Biblioteca degli auctori antichi Tom. II. p. 76.

§ 9.

Quam ego rationem in accuranda hac editione secutus sim, etsi ipso usu cognosci optime possit, breviter tamen admonere non dubitavi, ut de meis conatibus, si aequum animum benevolumque attulerint lectores, recte etiam vereque judicent. Cum enim et hic libellus juvenum scientia provectiorum usibus praecipue inservire possit, qui mente complecti rerum summam velint, quarum ampliorem et excultiorem descriptionem ipsa antiquorum auctorum lectio exhibet, vel recolere et uno quasi obtutu prospectare, quae longius latiusque dispersa per auctores lustraverant, vanam, imo nullam, operam duxi, si auctoris verba, qualia adhuc ferebantur, redderem, virorumque doctorum conjecturas meis qualibuscumque augerem, parum curiosus, an oratio esset usitata et probabilis, an res ipsae recte et ordine expositae; utrum in umbra et tenebris incerti errarent iuvenes, an luce collustrati ex hac quasi angustiori specula longius circumspicere patentes antiquitatis campos possent et remetiri oculis, quae antea ipsi propius adierant et accuratius erant contemplati. Ita vero et in tanta rerum diversarum, singularium etiam, et undique collectarum farragine constructaque congerie, si singula vellem persequi, longior instabat via, multa erant investiganda, multa exploranda et ex auctorum circulis conquirenda, quae conferrem ad singulas narrationes et depromere suis locis apte utiliterque possem. In quo labore perferendo etsi constantem patientiam minime defuisse mihi ipse conscius sum, obtusam tamen rerum multitudine oculorum mentisque aciem deflectere subinde a proposito cursu et aberrare potuisse ultro largior. Quod sicubi lectores acutiores factum deprehenderint, excusabunt aut monebunt humaniter; juvenes autem, quaecumque apposita fuerint, iis lubenter utentur.

CONSPECTUS

CONSPECTUS ARGUMENTI.